☙ Blattaria folio verbaſci, flore luteo amplo: Hæc folia habet verbaſci, Incana mollia, mucronata, è quorum gremio exit caulis, Bipedalis aut Tripedalis, in faſtigio, gerens flores luteos, amplos verbaſci inſtar. Quibus tamen deciduis ſuccedunt, capſulæ bivalves, ſeu binis loculamentis, diſtinctæ. Non in Pyramidem verbaſci capſularum more, ſed ſunt craſſæ, rotundæ; qua nota ſola à verbaſco diſtinguitur Blattaria.

☙

☞ Blattaria purpurea radice perenni: Folia edit incanè viridia, ſinuata, floſculos cœruleos, quatuor petalis conflatos, quibus deciduis ſuccedunt capſulæ, prioris capſularum æmulæ, ſimiliaque in ſe, continentes ſemina. Datur & hujus ſpecies foliis majoribus, Symphyti foliis, quam proxime accedens, quæ flores edit elegantèr carneos vel gilvos. Capſulaſque edit minores; natura eſt adeò intenta productioni, hujus: longè latéque rependo ut vix in Gallia, multò minùs in Anglia, ſemen ſuum perficeat.

☞ Blitum Polyſpermon, folio elatines ſubrotundo: Hæc Bliti ſpecies folia habet, hirta, ſeu villoſa, ſubrotunda, quemadmodùm elatine folio ſubrotundo; binatìm è regione, cingunt, caules pedales & ſeſquipedales; ad alas, enaſcuntur racematìm ſemina multa ſubnigra aut fuſca, lata tumidiuſcula: viridibus capſulis minimis (Atriplicis aut Bliti modo) contenta.

☞ Brunella Alpina, glabro folio, anguſto, integro: Folia edit mucronata, glabra, anguſta rigida, caulibus ſemi-

pedalibus

pedalibus è regione adnaſcentia: quorum ſummis apicibus verticillatìm, densè diſpoſiti, innaſcuntur flores, galeati cœrulei, nonnunquam purpurei, qui decidui, capſulas verticillatas, in ſpicam degenerentes, relinquunt: aliarum prunellarum more.

♃ Brunella Bætica annua foliis laciniatis: Folia inferiora profert ſinuata, per terram ſtrata, cauleſcente planta: folia edit laciniata, è regione diſpoſita. Summis caulibus innaſcuntur, verticillatìm ampli flores cœrulei, qui exſiccati, relinquunt ſpicatìm, ſeu denſiſſimè diſpoſitas capſulas verticillatas quinquefariam in margine partitas; vide Meliſſa Bætica in horto Regio Bleſenſi aucto, cum qua nullam habet affinitatem ſed omninò Brunellæ accedit. Ut clariùs poſtea docebitur.

♃ Bugloſſum luſitanicum bullatis foliis: Hæc Bugloſſi ſpecies, folia (ſi ſeratur autumno) exeunte hyeme profert viridia, bullis albis elegantèr conſperſa: è quorum medio, exit caulis, dodrantalis, aliquando pedalis, per terram ſtra-

tus, in ſummitate, ſuſtinens flores elegantèr cœruleos, parvos quadripartitos, quibus deciduis, ſuccedunt ſemina, viperini capitis æmula, aliorum Bugloſſorum more. Hujus eſt, & alia varietas, priori in omnibus ſimilis, niſi, quod flores edit rubros ſtriis albis, elegantèr pictos.

ℬ Bugloſſum procumbens annuum, pullo minimo flore: Hujus cauliculi Bipedales per terram ſtrati ſunt, folia gerunt villoſa, floreſque minimos; pulli ſeu obſcurè ferruginei coloris; Bugloſſi in modum, undè aptiùs Bugloſſum minimum procumbens, pullo flore, dicitur. Quam Echium; quia Echium, ſeu Lycopſis, flore donatur corniculato integro: qua nota, ab invicèm diſtinguentur, Bugloſſum: Echium ſeu Lycopſis, ut in Tabulis noſtris cognationis, clarius patebit. Vide Echium procumbens, floſculis atrorubentibus; in horto Regio Blæſenſi aucto.

ℬ Buxus foliis aureis: Sola variegatione foliorum, à vulgari differt: quod in multis aliis arboribus, fruticibus, & ſubfruticibus, plantiſque, accidit. C.

C.

CACHRYS peucedani foliis, semine fungoso sulcato: Hujus folia sunt dissecta, peucedani instar, caules Bipedales, umbellas sustinent luteas, quibus fatiscentibus, floribus singulis, succedunt bina semina, striata, fungosa substantia inclusa, oblonga, nucis Myristicæ, ferè magnitudine, Melonum instar sulcata, à lævitate una, semine sulcato lævi, altera semine sulcato aspero dicitur. Hinc, duæ species, sola seminis fungosa substantia, lævi & aspera sulcata, distinctæ, utraque species, folia gerit peucedani. Vide Libanotis Cachrifera, seu Cachrys verior, in horto Regio Blesensi aucto; cujus folia sunt ferulacea, aut fœniculacea semina itidèm striata gerit, substantia fungosa, plana, inclusa, nucis Myristicæ paritèr ad formam, & quasi magnitudinem.

Calceolus mariæ luteus: Folia vulgaris edit, flores ejusdem formæ nisi

quod luteos gerit, éſtque Helleborines ſpecies, à forma floris, ſic denominatur Calceolus mariæ.

ℭ Campanula .ſ. viola pentagonia perfoliata : Hujus folia ſunt ſerrata, ſubrotunda, binatim ex adverſo, caulem ambiunt Dodrantalem: ita,ut ab ipſo caule perforari, videantur. In ſummis, caulium, naſcuntur flores, Campanulati, violæ Pentagoniæ vulgaris æmuli, quibus ſuccedunt Siliculæ pares, Triplici loculamento diſtinctæ, ſemina Pellucida, ſubrufa,paria,cum vulgaris, Campanulæ ſeminibus : continentes.

ℭ Campanula .ſ.viola Pentagonia,folio oblongo latiori : Hæc vulgari perquam ſimilis, niſi quod folia edat longiora, latioraque : totaque planta eſt major vulgari. Reperimus & vulgarem, intra ſata, Regiæ Chambort, flore cœruleo pleno, utraque hæc ſpecies lacteſcit aliarum Campanulatarum more. Vide Onobrychis arvenſis in horto Regio Bleſenſi aucto.

ℭ Carduus Leucographis .ſ. mariæ hirſutus,capitulo minore:Hic Carduus folia

edit

edit longiora, & anguſtiora, obſcurè maculata, ſecundo anno caulem emittit Bipedalem, aut Tripedalem, in cujus cimis naſcuntur capita, minora, purpureos ferentia, tubulos, ſeu, flores; quibus fatiſcentibus, ſuccedunt, ſemina rotunda, Craſſa, & ſolida: annua eſt planta.

ℭ Carduus mariæ non maculatus: Carduo vulgari mariæ, in omnibus accedit: niſi quod folia edit maculis .ſ. lineis albis, deſtituta.

ℭ Carduus Leucoii foliis: Planta eſt pedalis aut ſeſquipedalis, cujus caulem ambiunt ex adverſo diſpoſita, bina folia Leucoii murorum ſeu Keiri inſtar: ſupernè viridia, ſubtûs ſeu infernè incana, ad quorum appoſitionem ſunt binæ ſpinæ. Floſculos gerit minimos, purpureos, qui in pappos reſoluti, relinquunt ſemina Craſſa, magna ſatis, pro plantæ tenuitate.

ℭ Carduus exoticus minor, albis maculis notatus: Hic autumno ſeſe ſerit. Atque per hyemem, folia per terram ſtrata gerit; laciniata, elegantèr lineis albis notata. Caules pedales & ſeſquipedales,

caputque parvum rubrum fert, cui pappescenti, succedunt, semina glutinosa pappo, inclusa. An Carduus Galactites Joh. Bauh. passim secus vias, prope Monspessulum reperitur.

♃ Carduus Polyacanthæ æmulus, seu alatus; Polyacanthæ capitulis æmulus: Hic Carduus ad Tripedalem, nonnunquàm ad quadripedalem assurgit altitudinem. Caulem habet, quatuor alis undulatis cinctum, folia obscuriùs virent, in margine crispa, rarioribus & mitioribus spinis, quam Polyacantha, armatur: Hic Carduus passim, secùs viarum margines, circa Londinum, Blæsas, parisios, & cœtera (id genus) loca, provenit copiosè. Flosculos capitatos, in caulium fastigiis gerit, rubicundiores pauloque majores, Polyacanthæ Theophr. saturatius rubescunt flores: nonnunquam variat flos, colore albo, cœterorum carduorum rubro colore, præditorum; more.

♃ Carduus Sphærocephalus annuus Bæticus minor: Hic cœteris Carduis Sphærocephalis, minor est. Vix Bipedalem excedit

excedit altitudinem: flores cœruleos minores, globulatìm fert; capita etiam minora, ſed ſemina multò, cœteris ſuæ familias ſeminibus majora fundit.

♃ Caryophyllata montana minor, flore nutante purpureo: Hæc à Caryophyllata majori vulgari; flore purpureo nutante deſcripta, differt, in hoc, quod folia edat glabra, minutiúſque diſſecta, totaque planta minor eſt.

♃ Caryophyllus omnium humillimus & minimus: Hic in montibus Pyrenæis, & alpibus provenit, pediculos profert unciales & biunciales, ſuſtinentes floſculos minutes, rubros, laciniatos, folia gerit tenuia, muſcoſa, undè muſcoſus appellari, meretur.

♃ Caryophyllus marinus minimus flore globoſo: Hic, folia tenuia, ternas quaternas uncias, longa, flores globoſos, omnium hujus generis, minimos fert, eorum qui in maritimis naſcuntur. Arearum aut Ambulacrorum margines, hoc conſeri (cum propter perennitatem foliorum, tum amœnitatem florum per æſtatem durantium) ſolent.

☞ Centaurium purpureum minimum: Caules biunciales vel triunciales ramatim fert, flores purpureos, semina & capsulas seminales, centaurii vulgaris minoris modo, fert. In humidis (circa stagna) locis, provenit.

☞ Centaurium luteum minimum: Hæc plantula etiam in humidis vegetat: vix Palmaris est; flosculos gerit luteos: capsulas, plurima minuta semina (vulgaris more) in se continentes, habet: Forte luteum novum colum.

☞ Chamæcistus halimi folio oblongo: Hic subfrutex ad pedalem utplurimùm aliquando Bipedalem assurgit altitudinem, folia profert oblonga, mucronata, incana, halimi instar. In Glareosis & Arenosis, circa caput Cenomanorum, copiosè conspicitur flores fert luteos, quibus labentibus, succedunt capsulæ, triangulares; minuta multa subrufa semina in se continentes cœterorum Chamæcistorum ad modum. Vide Petrum Belonium Cenomanum.

☞ Chamæcistus annuus erectus: Hic caules rectos palmares & sesquipalmares,

res, producit; floſculos minimos luteos, quinis petalis, luteis, donatos profert. Quibus decidentibus, ſuccedunt (aliorum more) capſulæ triquetræ. Ad cellam Eremitarum, Milliari, Bleſis diſſitam; prope pagum dictum la Chauſſé & circa pictavium copiosè reperitur; eſt minor ſpecies Ciſti, folio Salicis Cluſ. ad pedalem altitudinem rectè aſcendentem, circa pictavium reperimus.

ℭ Chamæmelum inodorum; ſeu cotula inodora ſemine nigro: In ora maritima Armoricæ, ſatis frequens occurrit; hæc planta, cujus folia, ſunt Cotulæ vulgaris fœtidæ foliis, magis diſſecta, Fœniculi, quaſi modo, obſcuriùs virent: quin & florum petala, ſunt multò ampliora, longiora, diſcum luteum cingentia. Quibus fatiſcentibus ſuccedunt ſemina nigra, éſtque hujus ſpecies, quæ in hortis colitur, & Cotula inodora flore pleno dicitur, quæ pangendo, propagatur. Semen itidèm habet nigrum, quemadmodùm, obſervavimus & penes nos impreſentiarùm habemus, plurimæ ſunt plantæ præcipuè annuæ, etiamſi flore pleno

pleno donentur, tamen ſemen producunt. Ut clariùs Enucleabimus in Hiſtoria generali, ſeu univerſali, Plantarum: per Tabulas cognationis, ſeu affinitatis, diſponendarum.

☞ Chelidonium majus, foliis tenuiſſimè diſſectis: Sola foliorum inciſione, multò tenuius, diſſectorum à Chelidonio foliis quernis differt: nam florem fert, laciniatum itidem; quare ex hujus ſemine, creditur eſſe degener planta. Nam ſemen ex hoc collectum, & à me ſatum: Chelidonium foliis quernis laciniato flore, produxit.

☞ Chryſanthemum Hiſpanicum, tenuifolium: Folia habet minùs tenuiter diſſecta, quam Achillea montana, floremque duplò majorem: utrumque & hoc & Achillea montana: Chryſanthemum, ferulaceis foliis nobis dicitur.

☞ Chryſanthemum Canadenſe latifolium altiſſimum: Ad quinos ſenoſve octonos nonnunquam pedes, aſſurgit caulis, craſſus, ſupra pollicarem craſſitudinem, quem cingunt alternatim, folia rugoſa oblonga, lata, plantaginis majoris

(quoad

(quoad formam) majora. In ſummis caulium faſtigiis, fert flores luteos diſcum luteum ambientes: (numiſma, dimidium taleri) vix æquantes; quibus exſiccatis ſuccedunt ſemina anguloſa, quaſi floris ſolis ſemina; ſed minora.

♃ Chryſanthemum Canadenſe latifolium humilius: Hoc vix Tripedalem excedit altitudinem, foliis, priori, quam proximè accedit, flores multò minores; ſemina paritèr minora: ejuſdem tamen figuræ, cum præcedentis ſemine.

♃ Chryſanthemum Americanum laciniato folio majus: Caules producit tricubitales, ad quorum nodos, apponuntur folia laciniata, magna, dilutè viridia: flores fert Corymbiferos luteos, quibus deciduis, ſuccedunt ſemina quadrangula, oblonga; quæ declarant, non eſſe Doronicum. Cum omnis Doronici flos abit in pappos.

♃ Chryſanthemum Americanum laciniato folio, obſcuriùs virenti, minus: Hoc à priori differt quod ſit humilius, folia gerit minora, magis laciniata, & obſcuriùs virentia, floreſque minores, utrumque

utrumque & ſuperius, & hoc ſemen fert ſolidum quadrangulum; neutrum pro Doronico haberi debet. Ut vult Johan. Parkinſon, cum utriuſque ſemen ſit ſolidum, Chryſanthemi more; multò minùs, eſt Aconitum ut vult Jacobus Cornutus; omnis Aconiti flos eſt Cucullatus, producens ſiliquas membranaceas, quaternas quinas: multa minuta ſemina rugoſa, in ſe continentes .ſ. nigra .ſ. rufa, ergò aptius, denominatur Chryſanthemum, & redarguendi ſunt authores, qui non norunt diſtinguere inter aſterem, Doronicum, Conyzam, Helenium & cœteras pappeſcentes, & Corymboſas: ſolida producentes ſemina. Atque hæc dixiſſe impræſentiarùm ſat. eſt.

♃ Chryſanthemum Canadenſe minus, alato caule: Hæc Chryſanthemi ſpecies, folia habet glabra, anguſta, ſecundum longitudinem caulium, producta, adeò ut alatus caulis dici poſſit. Caules habet Bipedales Tripedales, flores ſuſtinent luteos: quibus deciduis ſuccedunt, ſemina ſolida quadrangula, minimè autem in pappos abeunt Aſteris inſtar: ergò

malè

malè à Jacobo Cornuto Aſter alatus luteus dicitur, ut videre eſt in horto Regio Bleſenſi aucto, & in Parkinſono ſub Aſteris nomine, quam bene Judicent lectores.

☞ Chryſanthemum Canadenſe bidens, alato caule: Omninm Chryſanthemorum exoticorum, altiſſimum eſt hoc; caules edit ſenos ſeptenos, nonnunquam duodenos excedentes pedes, quibus, adhærent folia aſpera, oblonga, ad appoſitionem, alas conſtituentia, ſecundum longitudinem; caulis. Undè alato caule dicitur: flores in cimis caulium, Corymbatim fert, luteos; umbonem luteum cingentes, valdè exiguos, pro magnitudine plantæ vix Calendulæ flores æquant: quibus fatiſcentibus ſuccedunt ſemina, ſubrotunda compreſſa, binis aculeis, in ſuperiore parte ſeminis, prædita. Undè bidens (adinſtar Chryſanthemi Cannabini) appellandum, judicavimus. Malè ſub Helenio Canadenſi in horto Regio Bleſenſi. Quædam horum nominantur ut hoc Helenium Canadenſe prælatum, alato caule Aſter virgineus

gineus luteus, membranaceo caule Park. ex semine. Chrysanthemum Canadense bidens, melius nominatur; legentium & perpendentium, esto judicium.

☞ Chrysanthemum Cannabinum Americanum: A nostrate, cognitu facile, quippe caules edit quadripedales, subrubentes firmiores & rectiores, flosculos, ex multis staminulis luteis, conflatos habet: & semina bidentia, multò, vulgaris Chrysanthemi Cannabini, seminibus majora; vestibus paritèr adhærentia, pari modo ut nostras fert: malè in horto Regio Blesensi pro Eupatorio, cum authoribus aliis scribitur. Ut postea ad Oculum demonstrabitur.

☞ Cicer arietinum, fructu nigro: Solo fructus colore, à Cicere arietino fructu rubro, & fructus ipsius parvitate, & figura, utriusque enim flores sunt rubri.

☞ Clematis peregrina flore parvo: Hæc Clematidi peregrinæ in omnibus accedit: nisi quod flores profert duplò minores, aut rubros aut albos: semina paritèr minora, ejusdem cum priorum seminibus, formæ.

☞

♃ Clematis Tetraphyllos Americana: Ex inſpectione quaternorum foliorum cruciatim diſpoſitorum, citò dignoſcitur; nec ſemen nec florem nobis conſpicere licuit: ſcandere (adhibito baculo) obſervavimus.

♃ Clematis Hederæ folio: Planta eſt ſcandens & circa perticam ſeſe involvens ad altitudinem quinorum pedum, plus minuſve aſcendit; cujus folia ſunt Hederæ, æmula, latiora; flores fert minores, herbaceos; fructum nunquam vidi. Malè citatur in horto Regio Bleſenſi. Convolvulus Hederaceus perennis, cum Convolvulo propriè dicto, lacteſcente, florem unifolium gerente, nullam habet affinitatem, niſi quod ſcandit.

♃ Cochlearia, armorica floré parvo, ſubpurpureo: Hæc minor eſt ſpecies, Batavicæ; folia ei ſimilia edit, ſed minora, anguloſa, flores etiam minores, ſubpurpureos, ſeu dilutè purpureos: quibus ſuccedunt, Siliculæ bivalves, minores aliarum Cochleariarum more, ſemina in ſe minora paritèr continentes.

♃

℥ Conſolida regalis hortenſis, flore minore verſicolore: Seu Delphinium minus verſicolor: folia habet, hortenſis Delphinii vulgaris foliis tenuius diſſecta, flores minores rubros, Striis nigris maculatos; & eo ipſo nomine, ab aliis quam facillimè diſtinguitur.

℥ Convolvulus minor argenteus .ſ. incanus radice repente: Radices ut cœteri, ejus claſſis, ſub terram, repentes, habet: folia producit ſubrotunda, incana: flores, Coloſſinos, ſeu purpureos & albos, quorum ſingulis ſuccedunt ſemina, nunc plura, nunc pauciora; anguloſa: paſsim, ad oram maritimam, circa Rupellam, ſpontè provenit.

℥ Conyza acris, annua, alba: Planta eſt Bipedalis, cujus folia ſunt oblonga, ſerrata in margine; villoſa: flores gerit ramatim, in ſummis caulibus, albos: erigeri, ſeu Conyzæ acris cœruleæ, more, quin Acria Guſtui, ejus folia maſticata; ſtatim apparent. Flores decidui in pappos abeunt, & vento Aſportata ſemina, copiosè ſeſe ſerunt, per agros, tam in ſylvis quam vinetis Galliæ, Angliæ paſsim.

sìm. Aſter Canadenſis annuus, malè in horto Regio Bleſenſi aucto nuncupatur, quin & pariſienſibus, Aſter Canadenſis (me diſcipulo) dicebatur, ſed cum non ſtellatum gerit florem, ſed Erigeri aut potius Conyzæ cœruleæ, cui ſapor acris accedit, aptius (mea opinione) Conyza acris alba; quam appoſitè Canadenſis dicitur (cum paſsìm reperire eſt) Judicent lectores.

Cotyledon, radice tuberoſa, longa, repente: Hæc Cotyledonis ſpecies priori, ab Authoribus diſcriptæ, quam proximè accedit, niſi quod folia gerit majora, ſpiſſiora, nec circularitèr, ſcutellam .ſ. Cotyledonem effingunt: Sed juxta, pediculi, ſuperiorem partem aperta; nec circularitèr clauſa, prioris & majoris modò, quin & radicem, non promit rotundam & tuberoſam, rapi inſtar, ſed longitudinalitèr porrectam, & ſub terram repentem, à qua exeunt fibræ multæ exiles, quibus nutritur radix. Flores & ſemina vulgaris modo, habet.

☞ Cynogloſſum folio molli, incano, flor cœruleo ſtriis rubris variegato: Hæ Cynogloſſi ſpecies, folia vulgaris folii multò producit minora, mollia, inca na. Caules profert Bipedales, quorui ſummis innaſcuntur: flores dilutè cœ rulei, ſtriis rubris variè ducti: quorui ſingulis deciduis, ſuccedunt quatern ſemina (vulgaris & aliorum more) aſpe ra veſtibus adhærentia, multò minora rotunda: paſsim ſecus vias; circa Blæſa provenit.

D.

☞ DENTARIA Monophyllos, Anapo daphyllon pariſienſibus: Nomina batur; planta eſt vernalis, caulem terra Palmarem erigens, cujus apici in nitur folium ſub exortum complicatur proceſſu temporis extenſum, orbicula ritèr, rotundum, ſinuatum, in margine ad caulis prædicti exortum, è terra pro rumpit pediculus, triuncialis plus mi nuſve

nusve; sustinens. Florem, quinis petalis albis, donatum; cui deciduo succedit capsula, nucis Avellanæ magnitudine, multa minuta in se continens semina.

♃ Dentariæ affinis, Echii flore, capsula rotunda: Hæc planta ineunte vere, folia promit, sub exortum, Astransiæ aut Diapensiæ similia, tandem Dentariæ referunt folia, inter quæ exit caulis Palmaris, flores sustinens quaternos, quinos, albos, Echii floribus similes; quibus evanescentibus succedunt capsulæ rotundæ Anagallidis capsularum instar: semina solida in se continentes, aspertulæ odoratæ seminibus quasi paria.

♃ Digitalis Virginiana Lysimachiæ facie, foliis subrubentibus, flore violaceo minore: Hæc Digitalis species, caules promit Bipedales subrubentes, quos ambiunt per intervalla bina folia mucronata, Limonii majoris (primo ortu) foliis haud absimilia, inter quæ sese erigit caulis cubitalis, lignosus, rotundus, purpurascens: cui ad singula genicula, ex adverso bina adnascuntur folia, Lysimachiæ quodammodò, æmula, arctè adeo

caulem cingunt, ut perfoliata planta, dici meritò possit: ex alis ad genicula superiora, enascuntur pediculi, alios procreantes, quibus innascuntur flores, calice & forma Dactylothecæ seu digitalis ferrugineæ minoris, æmuli, dilutè violacei, ore non alitèr, quinque incisuris, tribus propendentibus, duabus erectis, diviso; per margines hirsuto: in fundo autem tubi seu floris, quatuor staminula arcuata latent, horum singulorum extremo, aliarum digitalium more, duo apponuntur testiculi rubelli, lentiformes, in superiore floris parte. Est autem stilus (propendens versus inferiorem partem) luteus lanuginosus. Succedunt, post evanidum florem Thecæ bicapsulares in mucronem acutum bifurcatum desinentes: continentes in se semina infinita minuta, digitalium omnium more.

ꝟ Digitalis foliis maximê serratis: Vide, galeata & verticillata, Persicæ foliis, digitalis æmula: post Horminum & Hyssopum infrâ.

ꝟ Digitalis latifolia flore ferrugineo: Hæc Digitalis, folia profert oblonga, sulcata,

ſulcata, nervoſa, multò digitalis ferrugineæ anguſtifoliæ foliis latiora, è quorum gremio ſeſe erigit caulis Bipedalis, ſuſtinens faſtigiatìm complures flores, (Dactylothecæ vulgaris, inſtàr, elegantis ferruginei coloris) majores; in quorum ſingulorum locum ſuccedunt Thecæ, bicapſulares mucronatæ, & acutè bifidæ, craſſiores, digitalis anguſtifoliæ, flore ferrugineo, capſulis. Semina itidèm paria, hinc inde in duplici loculamento, rufa, ſed majora, continentes.

♃ Doronicum foliis ſubtûs lanuginoſis: Hujus caules ſunt pedales, folia ſuprâ obſcurius virentia, ſubtûs incana, oblonga: flores fert luteos ſtellatos (aliorum more) ſeminaque abeuntia in pappos.

E.

ECHIUM procumbens, floſculis atro-rubentibus, procumbens annuum: Vide Bugloſſum pullo minimo flore; in horto Regio Bleſenſi aucto.

Eruca tanaceti foliis: Hæc folia profert incana viridia; tanaceti foliis (quoad diſpoſitionem) haud abſimilia, ex quorum gremio exit caulis, ſeſquipedalis, in cujus ſummis, naſcuntur floſculi lutei, quatuor petalis conflati, quibus pereuntibus ſingulis, ſingulæ, ſuperveniunt ſiliquæ biunciales, bivalves, ſepto membranaceo medio, utramque ſeriem ſeminum, hinc inde terminante. Tota planta Guſtui calida & acris: quemadmodùm reliquæ erucarum ſpecies. Antequàm hæc planta cauleſcat, cauleſque & ſiliquas producat, folia ſunt adeo tanaceti foliis proxima, ut niſi guſtus, in opem vocetur, difficile erit terminatu. Sub quo genere militare debet: ſed flores & ſiliquæ bivalves, ſtatim ad Tetrapetalas,

trapetalas, siliquosas, referri debere, indicant.

♃ Eruca vinealis, parvis luteis floribus: Hæc Erucæ species est annua, inter vineta proveniens, folia edit glabra sinuata, binas vel ternas uncias longa: ex horum sinu, exeunt, cauliculi per terram strati, in summis caulium fastigiis, gerentes flosculos parvos, luteos, quatuor petalis, constantes: quibus succedunt siliquæ unciales & biunciales: seriem duplicem seminum continentes (aliarum siliquosarum more) septo medio membranaceo eandem, dirimente. Nec tactum manuum patiuntur maturæ, aliarum Erucarum more. Nec mihi videtur sylvestris minor lutea folio Bursæ pastoris, Banh. in Prodr. cum ejus folia neutiquàm ad Bursæ pastoris, folia accedunt.

♃ Eruca Barbareæ æmula major: Hujus folia sunt majora, caules altiores, siliquæ crassiores, seminaque grandiora. Etenim planta est perennis: quibus notis, quam facillimè, ab Eruca Barbarea, dicta: distinguitur.

Eryngium ex plani ſemine degener: Hoc Eryngium ex plani Eryngii ſemine, ſato pullulavit, & folia produxit non integra, ſerrata ut planum, ſed multifida, & variè ſecta, florem cœruleum & ſemina paritèr, neutiquam ab Eryngio, plano diſcrepantia, edidit.

Eryngium pannonicum latifolium, album, differt à pannonico Cluſii ſolo, florum colore.

Euphraſia lutea viſcata, ſerrata pratenſis: Planta eſt Dodrantalis in pratis & humentibus agris proveniens, intra ſepta Regiæ, Chambort, paſsímque alibi, cujus folia ſunt ſerrata longa, tactui viſcoſa, in ſummis alis caulium floſculos gerit, ſatis amplos (pro tenuitate plantæ) luteos, Galeatos, qui flaccidi relinquunt, capſulas oblongas, continentes infinita ſemina minuta: Euphraſiæ vulgaris modo.

F.

℥ FRAGARIA ſterilis incana: Hæc Fragariæ ſpecies ſterilis dicitur; quia fraga non edit, ſed ſemina ſicca, ut reliquæ pentaphylli ſpecies, folia habet tripartita ut Fragaria, ſed incana aut pubeſcentia, nec alia nota, à Fragaria ſterili vulgari differt: copiosè in ſylvis adjacentibus, pictavio, reperitur. An leucas Dioſcoridis Lob. dubitatur.

℥ Fragaria pentaphylli fructu: Hæc Fragariæ ſpecies, ſub exortum, folia omninò tripartita, & Fragariæ vulgaris æmula gerit; ſed caules emittit pedales, & ſeſquipedales, erectos: ut pentaphyllum majus; Fragariæ folio, meritò dici poſſit. Flores luteos, capſulas ſeminales, & ſemina ibidem contenta, pentaphylli ſunt æmula. Vide pentaphylloïdes hort. Regii Bleſ. aucti.

℥ Fraxinus florifera Botryoïdes: Hæc à vulgari Fraxino parùm differt; primo intuitu, quoad foliorum diſpoſitionem,

&

& corticem; sed florum profert racemos; Dodrentales albos, pendentes: siliquas seminales nondùm vidimus.

ℭ Fritillaria ramosa, seu Lilium Persicum minus: folia profert omninò, Lilii Persici florum æmula, sed anguſtiora, caules edit pedales, in quorum summitate proveniunt ramatìm seu Corymbatìm, flosculi quini, seni pendentes, pullo colore præditi, Lilii Persici instàr.

ℭ Frumentum Indicum, spica articulata, radice perenni Spicam longam semipedalem per articulos, semiunciales aut unciales, disposìtam gerit, qua sola nota (juncta duratione) facile cognoscitur.

ℭ Fumaria tenuifolia, semine compresso, lini instár: Hæc Fumariæ species, folia omnium tenuissima gerit, caules promit palmares & sesquipalmares, in quorum summis proveniunt (aliarum more) flosculi Corniculati, ex albo elegantèr purpurei, quibus decidentibus, subveniunt semina, compressa, tumidiuscula lini instàr, nec capsulas vulgaris Fumariæ ritu, producit. Et ideò indescriptam esse judicavimus: à semine primo intuitu, cuilibet

cuilibet obvia: creſcit in Galloprovincia, & Gallia Narbonenſi.

G.

ꝺ GALLIUM album tripetalon: Hæc Gallii ſpecies folia gerit, oblonga & anguſta, vulgaris Gallii haud abſimilia, flores fert multò minores. Tribus tantùm petalis donatos. Qua nota, ab aliis ſuæ claſſis (quippe quatuor petalis donantur) facilè diſtinguitur.

ꝺ Geranium Batrachoïdes, minus, perenne verſicolor: Hoc folia habet minora, minúſque incana, Ranunculi Batrachoïdis inſtàr, maculis nigris .ſ. fuſcis notata; flores fert in ſummis ramis, ſtriatos, ex albo & nigro; quemadmodùm Romanum verſicolor Park. floribus cadentibus ſuccedunt ſemina quina minora, ſubrufa, roſtrum brevius aculeatum terminantia.

ꝺ Geranium Batrachoïdes minus annuum purpurocœruleum: Hujus folia omninò

ninò Ranunculi Batrachoïdis; ſunt æmula, flores fert magnos, purpurocœruleos, quibus deciduis ſuccedunt ſemina paritèr quina, nigra; roſtrum Gruinum biunciale, terminantia, ad baſin. Hoc ſolum Batrachoïdes, annuum eſt, & ideò inter cœtera notu, facilius.

ℭ Geranium Malachoïdes, ſeu Malvæ folio rotundo, flore albo: Hoc ſolo florum, colore albo, differt à pede Columbino Dod. ſeu Geranio Malvæ folio rotundo vulgari B. P.

ℭ Geranium Robertianum, flore albo: Solo itidèm florum colore, à vulgari rubro differt.

ℭ Glaux major, paluſtris, flore herbaceo: Hæc in fluviis & ad margines fluviorum: per prata labentium, provenit; caules habet pedales, aquis innatantes, à quorum geniculis nodiſve, demittuntur fibræ, in aquam, quarum beneficio nutritur tota planta; ad ſingula genicula oriuntur bina folia, pulegii Regalis foliis latiora, glabra, mucronata; in caulium alis ſuperioribus, emergunt flores, herbacei coloris qui relinquunt in capſulis oblongis

oblongis, Caryophylli aromatici magnitudine ; in ſingulis infinita ſemina minuta, ſubviridia : etiam, Euphraſiæ ad modum, continentur.

♃ Gramen Phalaroïdes perenne, tuberoſa radice : Spicam fert, Phalaridis ſpica, tenuiorem longiorem ; ſeminaque multò ſunt minora. Radices habet tuberoſas, lucentes, perlarum inſtàr, per nodos, Typhini graminis radici ſimiles : perennis eſt planta.

♃ Groſſularia .ſ. Ribes fructu rubro, Uvæ criſpæ folio : Frutex hic ad tripedalem aſſurgit altitudinem cortice refert Ribem, foliis Uvam criſpam, fructum fert Ribis, rubrum, racematìm, ſeu Botryos in modum diſpoſitum.

H.

ℭ HEDERA trifolia Canadenſis; folio ſinuato: Hæc à Hedera trifolia Canadenſi Cornuti differt in hoc, quod folia, habet minora, tripartita, in margine autem ſinuata, quod non conſpicere licet, in Hedera trifolia Canadenſi Cornuti.

ℭ Helenium Indicum tuberoſum, radice oblonga: Sola radicum longitudine; (quæ ad ſemipedem aliquandò accedit) ab Helenio (ſeu potius Chryſanthemo) tuberoſo, radice rotunda, differt.

ℭ Helleborine, herbaceo flore: Ex primo intuitu florum, cognoſcitur. Hæc Helleborines ſpecies; in collibus, ſylvoſis. Ubi ſylvæ ſunt cœduæ, cernere ipſam frequentèr licet.

ℭ Helleborus niger, flore roſeo, minor Belgicus: Hic, omnibus ſuis partibus, foliis, caulibus, flore, eſt vulgari hortenſi, ſeu legitimo, minor: florem fert ex albo roſeum.

ℭ

♃ Hieracium flore parvo luteo, apuli, flore ſuaverubenti, odore æmulum: Hæc Hieracii ſpecies adeò odore, Hieracio apulo, flore ſuaverubenti Col. accedit. Quippe Amygdalas amaras redolet utrumque: ut idem odoratui appareret, ſed hoc folia habet anguſta, flores minimos luteos, quibus evanidis ſuccedunt, in Calycis, margine exteriori, incurva quaſi roſtra. In viarum marginibus paſsim reperitur circa Bleſas. Hæc duplici nota, odore & roſtris incurvis, in marginibus Calycis, exterioribus: cognitu cuivis obvium.

♃ Hieracium, foliis & floribus dentis Leonis bulboſi, ſemine curvo: A ſemine curvo facilè diſtinguitur, hoc Hieracium ab omnibus aliis, ſuæ claſſis.

♃ Hieracium anguſtifolium glabrum, ſeu piloſella major glabra: Caules edit Bipedales, ramoſos: folia anguſta glabra. Atque ſola glabritie, quam facillimum erit, à cœteris hujus ordinis, (quippe villis ſcatentibus) ipſum diſtinguere.

♃ Hieracium (pulmonaria non maculata, dictum)

dictum) indissectis foliis: In sylvis montosis, & collibus sylvosis: Hæc pulmonariæ species, provenit. Foliis nullis maculis consperſis, in margine integris. Hinc à cœteris, notu, non est difficile.

♃ Horminum majus, amplo flore violaceo, Lobis florum, punctis aureis notatis: Hoc Horminum folia profert hirsutiora, cœteris suæ sortis; (excepto solo Æthiopico) ad basin angulosa: inter quæ exeunt, caules Bipedales, aliquandò tripedales, quadrati, quos (ad genicula) amplectuntur, bina folia Dodrantalia (ut superius dictum) auriculata. In summis caulium, verticillatim proveniunt flores ampli, violacei, Lobis florum, lateralibus; punctis aureis aut purpureis, notatis; floribus singulis evanidis, succedunt in capsulis magnis, semina crassa nigra quaterna utplurimum, majora, cœterorum omnium Horminorum, seminibus. Atque punctis aureis aut purpureis & semine majore: notu facile, à sequenti, cum quo majorem habet affinitatem.

♃ Horminum lapathi unctuosi folio, seu, majus

majus haſtato folio: Hoc folia habet hirſuta, anguloſa aut auriculata ad baſin, ut ſuperius. In mucronem deſinunt, haſtæ inſtar cuſpidis, quin & forma lapathi unctuoſi, folia repreſentat. Flores fert magnos, omninò violaceos, ſemina, in omnibus prioris ſeminibus minora, & ſubfuſci coloris.

♃ Horminum napi folio: Ex diviſione foliorum, napi foliis ſimilium & florum parvitate, lavendulæ, inſtar. Satis notu facile.

♃ Horminum Salviæ folio: Hoc Horminum adeò Salviæ majoris foliis habet ſimilia ut principio, à ſatione. Salviæ (primo intuitu) videretur ſpecies: Flores fert purpureos majores. Odore, Horminum ſeſe declarat. Fortè hæc Hormini ſpecies eſt quæ, à proſp. alpino; marum Ægyptiacum denominatur.

♃ Horminum minus, folio ſinuato, flore minore dilutè cœruleo: Caules quadratos, pedales, hirſutos, producit; procumbentes, rariùs ramoſos: foliis nonnihil hirſutis (pollicarem latitudinem vix excedentibus) oneratos; uncias

tres longis, in margine ſinuatis. Cauliculi, floribus rarius diſpoſitis ornantur, dilutè violaceis, Lavendulæ florum æmulis. Quibus decidentibus, ſuccedunt in ſingulis capſulis, quaterna ſemina minora, nigra aut fuſca rotunda. Sylveſtris quarti, quinta ſpecies Cluſ. paſsim hìc in Anglia ſecus fluvium Thamiſin, copiosè provenit, folia habet majora ſinuoſa, ſaturatiùs viridia. Caules fert quadratos (ut verticillatæ Galeatæ fere omnes) pedales & ſeſquipedales erectos. Quorum ſummis ramis, innaſcuntur flores paulò majores magiſque ſaturè violacei, quàm prioris deſcripti, ſunt flores; ſed florum magnitudine, quàm proximè accedunt.

♃ Hyſſopus hirſuta: Ab Hyſſopo latifolia vulgari, ſola hirſutie foliorum: Quemadmodùm, ſtriata ſeu aurea, à variegatione; diſtinguitur à vulgari; hoc accidit in multis aliis tàm arboribus, fruticibus, & plantis, ut ſuperiùs diximus

♃ Galeata & verticillata, Perſicæ foliis, digitalis æmula: Hæc Galeata & verticillata

cillata planta, adeò similia producit folia, foliis, Persicæ mali, quoad formam & serraturam, ut nihil magìs, flores autem fert Galeatos, subpurpureos, amplos, quorum singulis succedunt, quaterna semina angulosa, in capsulis quinque partitis in margine, verticillatarum & Galeatarum propriè sic dictarum more. Nec Thecam bicapsularem, pyramidalemve: Hìnc indè, infinita semina minuta, subrufa, continentem habet. Ergo perperâm Botanicis hucusque, passìm pro digitali Persicæ foliis, habetur. Vide digitalis, foliis maximè serratis: in horto Regio Blesensi aucto.

I.

℞ Jacea lusitanica sempervirens: Planta est tripedalis, folia habet, cœteris, suæ sortis, latiora, durabiliora, per hyemem totam utplurimùm durant; flores, & semina habent majora. Quibus notis, à reliquis, speciebus facilè distinguitur.

℞ Jacobæa foliis amplioribus incanis: Ad sylvarum & vinetorum margines provenit hæc Jacobæa: foliis Jacobææ vulgaris, foliis multò; sunt latiora, minusque secta, quin & ipsis sunt multò magis incana. At Jacobææ marinæ foliis, multò minus sunt incana: medium inter utramque (quoad canitiem) obtinet locum; flores & semina paria.

℞ Jacobæa Crithmi litorei foliis: Planta est Bipedalis, folia angusta, crassa, oblonga, viridia, Crythmi Chrysanthemi maritimi instar, habet: florem fert luteum Jacobææ, stellatum: cujus petala lata lutea, cingunt discum luteum, ex plurimis staminulis luteis, conflatum:

(aliarum

(aliarum Jacobæarum more) flos abit in pappos.

♃ Jacobæa Senecionis folio : Obſerva, Jacobææ notam genericam & eſſentialem (quâ diſtinguitur à Senecione) eſſe, quod flos Jacobææ, conſtet multis petalis latis & planis : cingentibus diſcum, ex plurimis ſtaminulis luteis, conflatum. Senecionis autem flos tantùm componitur, ex ſtaminulis plurimis luteis ; nullis petalis planis, latis, eaſdem cingentibus. qua ratione hæc concluditur eſſe vera & genuina, Jacobææ ſpecies ; cum Jacobææ habeat florem ſtellatum : ut ſupra ſatis dictum. Quoniam folia omninò diſſecta habet, ut Senecio : Jacobæa Senecionis folio, aptè dicitur. Deſumpta denominatione, à nobiliore parte. Flore videlicet.

♃ Iberis Virginiana, latifolia ramoſa : Folia fert Iberidis vulgaris foliis, latiora. Cauleſque edit altiores & fruticoſiores ; annua eſt etiam planta, & hac nota à vulgari facilè diſtinguitur.

L.

ꝺ LAMIUM parietariæ facie : in omnibus Lamio vulgari accedit. Facilè autem dignoſcitur, ex primo intuitu, à foliorum cum parietariæ foliis, ſimilitudine.

ꝺ Laſerpitium alterum, foliis Lobatis anguſtis, dilutè virentibus : A Laſerpitio Gallico diſtinguitur, quod folia producit dilutius virentia, quam Gallicum, cujus folia, ſunt lucide atrovirentia.

ꝺ Lathyrus latifolius, luteus, annuus, ſiliqua hirſuta : Hic Lathyrus inter Sata Bleſis adjacentia, frequentèr ſatis, provenit ; florem fert dilutè luteum (aliorum more) papileaceum cui, ſuccedit ſiliqua longa, hirſuta, qua nota præcipuè diſtinguitur ; à ſuæ claſſis, reliquis.

ꝺ Lathyrus latifolius, flore obſoleto ſiliqua Piſi minoris : In arvis ſatis, circa Rupellam, frequens nobis obvius fuit hic Lathyrus : florem ſubrubrum vel obſoleti coloris gerit ; cui ſuccedit ſiliqua

qua ſeſquiuncialis, duplici ala, cavâ parte (qua ſemina quaterna quina junguntur) prædita.

♃ Lathyrus anguſtifolius λεπτόλοβος, ſemine rotundo, flore rubello: Hæc Lathyri ſpecies, folia ut ſequens, gerit anguſta, Graminea, longa, caulem pedalem & ſeſquipedalem, habet: in cujus cimis naſcuntur flores Rubelli, obſoleti coloris. Quorum ſingulis, ſuccedit ſiliqua rotunda, multò ſequentis, ſiliqua longior: in qua continentur ſemina dena, duodena rotunda.

♃ Lathyrus anguſtifolius λεπτόλοβος, ſemine hexedro, flore cœruleo: Lathyrus hic folia habet anguſtiſſima, Graminea, florem fert cœruleum, papileaceum: (cœterorum more) cui ſuccedit ſiliqua, longa, tenuis: continens minuta ſemina, anguloſa cubum .ſ. hexedram, referentia.

♃ Laurus Alexandrina, fructu longis pediculis, caulibus, alligato: Sola hac nota diſtinguitur; quod fructuum ſeu baccarum pediculi, unciales aut biunciales, à cauliculis pendent, in reliquis

autem, folio aut pediculo, baccæ, frutuſque inſident.

☞ Liliaſphodelus, latifolius flore luteo, ſola magnitudine foliorum & florum ab anguſtifolio differt.

☞ Lilium .ſ. Martagon Canadenſe: Elegantia florum, elegantèr à natura punctatorum: facilè diſtinguitur; à cœteris ſuæ familias.

☞ Linaria minima hirſuta, flore obſoleto: Hæc tenuis Linariæ ſpecies, folia habet quodammodò Antirrhini æmula, florem habet ſubnigrum (inſoleti coloris) ſed omninò Linariæ, quippe rictum habet anteriùs, & calcari donatur poſterius capſulamque binis loculamentis, diſtinctam habet. Septo membranaceo utrumque diſterminante: malè ab authoribus pro Antirrhino minimo, appinguitur: in ſatis arvis, paſsim occurrit.

☞ Linaria minor viſcoſa, flore luteo: Hæc Linariæ ſpecies, folia edit hirſuta, viſcoſa, caules ſemipedales, in quorum cimis, flores fert Linariæ, luteos: quibus evaneſcentibus, ſuccedunt capſulæ, aliarum more. Continentes ſemina ni-

gra

gra compreſſa, ſeu foliacea, non autem ut Linaria vulgaris, rotunda : (hinc nota duo reperiri genera Linariæ, quorum unum fert ſemen compreſſum, nigrum, foliaceumve, alterum rotundum, ut prolixiùs alibi, in Tabulis noſtris, cognationis, deducemus) in Arenoſis maritimis Armoricæ provenit hæc Linaria.

ℭ Linaria Armorica, flore ſaturè violaceo : Hæc folia producit glabra, anguſta : caules pedales, quibus innaſcuntur flores, ſaturatè violacei, parvi, parvas relinguentes capſulas, Linariæ in modum.

ℭ Linaria anguſtifolia glabra, flore luteo majore : Hujus folia ſunt quaſi Pſyllii foliorum æmula, longiora. Caulem producit, ſeſquipedalem, cujus cimis innaſcuntur, flores lutei multò majores, pro tenuitate plantæ, quâm in ulla alia Linaria. Circa Burdegalam, in ſatis, provenit.

ℭ Linum ſylveſtre annuum, luteum, folio latiore & anguſtiore : Spontè in humidis ſylvis, utraque hæc ſpecies creſcit, ſolo hoc diſcrimine quod, unius folia

ſunt

ſunt latiora, alterius anguſtiora. Vix Dodrentalem altitudinem excedit, utraque ſpecies.

ꝛ Linum perenne cœruleum, ſativo æmulum: Hoc in omnibus ſativo accedit niſi quod eſt perenne.

ꝛ Lychnis flore muſcoſo capillaceo: Habet caules ſeſquipedales, Lychnidis (ſeſamoïdes Cluſio) dictæ, æmula. Sola hac nota ab omnibus Lychnidum ſpeciebus differt quod non (aliarum more) florem, quinis petalis, ad medium bifidis, gerat. Sed florem edit ex plurimis capillis muſcoſis, herbacei coloris.

ꝛ Lychnis Alpina glabra, Caryophylli holoſtei flore: A foliis glabris Caryophyllorum, foliorum æmulis, biuncialibus aut triuncialibus, notu perquàm facilis, flores fert minores albos, quinis petalis, ad medium bifidis conſtantes; capſulam ſeminalem, & ſemina aliarum more producit.

ꝛ Lychnis minor viſcoſa Saxatilis; Caryophylleis foliis: Hæc inter Saxoſa, provenit, Pyrenæorum montium & in Alpium jugis, folia habet glabra, mucronata,

cronata, Caryophylli instar: Caules vix semipedales profert: ad singula internodia (ut in pluribus aliis Lychnidum speciebus) visco obductos; quo muscæ captantur, unde viscosa dicitur.

℥ Lychnis maritima repens, strictissimis foliis: Hujus cauliculi per terram sunt strati, quibus strictissima, innascuntur folia, flores fert albos minores, quibus pereuntibus, succedunt capsulæ, aliarum Lychnidum more, & semina ibidèm contenta. Provenit in sabuletis maritimis armoricæ, & circa Rupellam. Hæc planta.

℥ Lychnis incana longiori folio, petalis non bifidis: Hæc Lychnidis species, quod folia edit longiora, incana, & florum petala, habet non bifida, notu facilima, nec novi ullam, hujus generis speciem aliam, quæ petala gerit non bisida: præter auriculam muris, pulchro flore, folio tenuissimo. Joh. Bauh. in Ericetis sabulosis, sex milliaria, à Burbonum capite, distantibus, reperitur, satìs frequentèr.

℥ Lychnis (papaver spumeum) latifolia vulgaris,

vulgaris; hirsuta: Hæc sola foliorum hirsutie, à papavere spumeo, vulgari glabro, differt; inter sata, valdè frequentèr occurrit.

☞ Lychnis (papaver spumeum) angustifolia glabra, flore purpureo, ab angustifolia vulgari glabra, floris colore, solummodò differt.

☞ Lycopsis Monspeliaca, floribus dilutè purpureis & albis: Ad tripedalem assurgit altitudinem, flores Corniculatos dilutè rubros & albos, aliorum Echiorum aut Lycopsium more habet, quaterna, dicidentes relinquunt semina; viperini capitis, figuram referentia. Nota essentialis & generica quâ distinguitur Echium seu Lycopsis. A Buglossa seu Anchusa, est hæc. Quòd hujus flores quinis petalis constent: illius autem flores sunt Corniculati. Quod cuilibet observanti & propiùs intuenti, quam facillimè apparet.

☞ Lysimacha Corniculata, lutea Canadensis minor seu angustifolia: Hæc sola foliorum angustia, aliarum suarum partium; florum scilicet & capsularum seminalium,

minalium, parvitate differt, à Lysimachia Corniculata lutea majori Cornuti.

℥ Lysimachia purpurea spicata lanuginosa, seu folio subrotundo incano: A Lysimachia spicata communi purpurea Clus. differt, quod hujus folia sunt glabra, oblonga, mucronata; illius vero incana seu lanuginosa, subrotunda, cætera ei par.

M.

℥ Malva Betonicæ folio: Cauliculos profert pedales & sesquipedales per terram stratos quibus adhærent alternatim, folia oblonga, Betonicæ foliorum instár. Flores fert amplos Rubellos; semina, nec ad maturitatem pervenêre.

℥ Malva Hispanica: Hæc Malvæ species folia producit mollia, undulata in margine. Superiùs, micis sulphureis ad solem, lucentibus donata sunt. Caules edit bipedales, aut tripedales, flores & semina

ſemina aliarum Malvarum modo. Perennis eſt planta: quin & perpetua fronde viret. Ut Althæa Olbiæ, in meridionalibus ſaltem regionibus.

ℭ Marrubium aquaticum ſeu aquatile foliis tenuiùs diſſectis: Hæc Marrubii ſpecies, longè lateque radices ſuas, hâc, illàc ſerpendo, ſpargit: Caules fert tripedales ut vulgare. Folia autem duplò aut triplò tenuiùs, vulgaris foliis, ſunt diſſecta. In omnibus aliis, vulgari congruit.

ℭ Meliſſa Romana hirſutior: Hæc folia profert multò vulgaris foliis latiora, multóque hirſutiora, quin & tota planta, multò eſt major vulgari, ad ternos, quaternos (aliquandò) aſſurgit pedes. Hujus ſemen, ut & aliarum plantarum (in horto Regio Bleſenſi aucto, contentarum) multa, ad me miſſa fuerunt ſemina. A doctiſſimo & peritiſſimo Botanico, Domino Jacobo Barillier, in ſacra ſancta Theologia Doctore, ordinis prædicatorum ſocio, digniſſimo, ad minervam Romæ, pro eo tempore commorante: cui immortales debemus gratias.

ℭ

☞ Meliſſa Bætica: Vide Brunella Bætica ſuprâ: Cum non habet odorem Meliſſæ, nec flores Galeatos, rariùs per verticillos diſpoſitos ut Meliſſa. Sed verticillos denſiſſimè diſpoſitos: & quaſi (prunellæ in modum) in ſpicam degenerantes, prout clariùs deducemus in Tabulis noſtris, cognationis. Pro prunella habeatur.

☞ Millefolium tanaceti foliis: Hujus folia ſub exortum, antequam, cauleſcat planta, adeò ſunt Tanaceti, foliorum æmula, ut non niſi ab oculato Botanico, diſtingui poſſint; niſi guſtus & olfactus, vocentur in opem. Sed poſtquàm produxerit caulem & Corymbum, Millefolii in modum, ſemenque paritèr Millefolii. Seſe declarat verum & genuinum Millefolium. Eſtque flore albo & purpureo. Vide Tanacetum montanum purpureum: in horto Regio Bleſ. non aucto. Quàm inneptè Botanicis, Tanacetum dicitur, videat lector & examinet mecum.

☞ Myrrhis perennis lutea daucoïdes: Hujus folia quàm proximè dauco, ſeu paſtinacæ

paſtinacæ tenuifoliæ, accedunt, quin & flores habet luteos, ſemina roſtrata ſtriata, Myrrhidis. Montanæ, ſeminibus longiora at minùs tumida habet. Perfecto ſemine, ſeſe renovat ex eadem radice.

♃ Myrrhis nodoſa annua, ſemine aſpero: Hujus caules ad internodia craſceſcunt, nodoſque gerunt pyriformes, flores gerit albos, in ſummis caulium bipedalium. Quibus exeuntibus, ſuccedunt ſemina roſtrata bina, ſtriata, aſpera, in convexa parte; imo multò ſunt, reliquis craſſiora. Unde à nodoſitate caulium, flore albo, & ſemine ſtriato aſpero, quàm facillimè, à reliquis Myrrhidum ſpeciebus diſtinguitur. Hoc addito, quod ſit annua planta. Nota quod omnis Myrrhidis, ſemina bina ſint ſtriata; Cerefolii autem lævia nigra, ergò Myrrhis Fuchſ. ſeu ſylveſtris ſeminibus lævibus B. Pin. eſt Chærophyllum ſylveſtre. At Anthriſcus Plinii hiſtoriæ Lugd. eſt Myrrhis ſylveſtris, non Chærophyllum ſylveſtre. Quia ſemina habet ſtriata, hoc adde quod nodos gerit pyriformes.

♃

♃ Myrrhis perennis montana alba: Hæc Myrrhidis ſpecies aſſurgit, ad binos ternoſve pedes, caules producit ſtriatos, flores (aliarum ſuæ claſſis more) albos: quibus ſuccedunt ſemina roſtrata, ſtriata. Semiuncialia exteriùs lutea: cava parte qua junguntur, ſubcœrulea; eſt foliis hirſutis & hirſutioribus, cujus folia medio modo, ſecta ſunt, ſatis lata. Eſt & tertia hujus ſpecies, cujus folia ſunt tenuiùs diſſecta.

♃ Myrtus aurantiæ folio: Hujus folia ſunt aurantiæ foliorum, colore & conſiſtentia, adeò æmula, niſi quod ſint multò minora, & anguſtiora. Ut malum aurantiam minorem (antequàm flores & fructum edit) nullus dicere vereretur. An Myrtus latifolia Park. Cluſ. hiſt. dubitatur.

T N.

N.

℞ NASTURTIUM pratense floſculis minimis: Pedalem & ſeſquipedalem habet altitudinem hæc planta: folia quàm tenuitèr diſſecta, floſculos minimos albidos quatuor petalis (aliarum ſiliquoſarum, tetrapetalarum more) conſtantes producit; quorum ſingulis ſuccedunt ſiliquæ biunciales, bivalves, ſepto medio membranaceo, diſterminante: duplicem ſeriem, ſeminum, cœterorum (ſuæ claſſis) more. Quin & matura ſemina, manuum tactu; per terram ſparguntur. Unde noli me tangere dicitur. Fortè Naſturtium ſylveſt. minus Bauh. in Prodr.

℞ Nigella ſylveſtris, flore luteo pallido; Seu Lychnis (Pſeudomelanthium) dicta ſolo, florum colore, à vulgari Pſeudomelanthio, differt.

O.

O.

℞ OCYMUM minimum foliis rubescentibus: Ex satione, tanta est varietas horum, ut folia aliquandò rubescant, aliquandò sunt luteopallida, ut plurimùm viridia. Aliquandò integra, nonnunquam serrata, ita ut ex satione, concludo esse lusum naturæ, ut in multis aliis annuis.

℞ Onobrychis, flore saturatè rubro: Ab Onobrychide vulgari, solo florum colore differt.

℞ Onobrychis, viola Pentagonia dicta, vide Campanula .s. viola Pentagonia.

P.

℞ PASTINACA tenuifolia lucida: Vulgaris Pastinacæ, folia sunt hirta, hujus folia sunt glabra & lucida, sola luciditate & glabritie foliorum, à vulgari facilè distinguitur.

Pastinaca tenuifolia, radice & umbella lutea: Facilè ab hortensi & sylvestri, distinguitur; quippe harum umbellæ, colore sunt albo illius umbellæ sunt colore luteo, præditæ.

Pentaphylloïdes Fragariæ folio: Vide Fragaria Pentaphylli fructu.

Pentaphylloïdes, Argentinæ facie, nobis: Pentaphyllum supinum potentillæ facie Clus.

Pentaphylloïdes, Ulmariæ facie, nobis: Pentaphyllum fragiferum 5. Clus. cum duæ posteriores plantæ, costas seu nervos medios, longos habent, quibus quina, interdùm plura foliola, adhærent è contrario, inter se foliorum exortu, nascentia: uno extremum claudente. Potentillæ .s. Argentinæ, ritu. Ergo, cum florem & semen, aliorum Pentaphyllorum more, perficiunt. Folia autem Pentaphylli non habent, Pentaphylloïdes nuncupari velim.

Petasites minor, folio tussilaginis: Petasitis folia sunt scabra aspera. Hujus autem, sunt prona parte viridia, supina, incana, tussilaginis instàr, & nisi quod florem

florem producit Petasitis, esset vera tussilaginis species.

℥ Peucedanum minus foliis Lobatis angustis: Hæc umbellas, folia producit quina, sena, nunc plura, nunc pauciora, è regione Rachi seu nervo medio, adnascentia, uno extremùm claudente, è quorum medio sese erigit Caulis Bipedalis, sustinens flores luteos, umbellæ in modum; semina fert membranacea, rotunda, Peucedani vulgaris instár.

℥ Phalangium Virginianum, amplo flore: A Phalangio Virginiano tradescanthi, sola amplitudine, florum & seminum differt. Estque flore rubro, cœruleo & azureo.

℥ Phalaris, semine minore nigro: Hæc semen, producit, minus Phalaridis vulgaris, semine, quod & nigrum est, qua nota, facilè, distinguitur à Phalaride Dod.

℥ Phaseolus minor Collossinus, siliquis longissimis: Hic Phaseolus ut & sequens, vix pedalem aut sesquipedalem excedunt altitudinem; Hic florem Colossinum: fructumque minorem Colossinum,

siliquas, senas, septenas uncias longas fert, strictissimas. Non scandit nec sequens.

☞ Phaseolus, siliquis rotundis Viciæ, fructu ovali viridi: Hæc Phaseoli species, vix pedalem excedit altitudinem, flores fert herbacei coloris; aut subvirides, papiliaceos, siliquas Viciæ in modum, rotundas, quaternas uncias aliquandò excedentes: semina oblonga, viridia, ovalia; in se continentes.

☞ Pilosella major glabra: Hæc à majori repenti hirsuta Bauh. in Pin. differt sola glabritie.

☞ Pimpinella maxima, spica longa rubra: Hæc à sanguisorba differt, quod spicam gerit, ipsa longiorem, ternis, quaternis unciis constantem, hujus est & alia species, ei omninò accedens, nisi quod spica sit brevi, Glomerata, rubra paritèr, utraque, folia gerit longiora, & magis serrata, quàm Pimpinella sanguisorba.

☞ Pimpinella Agrimonoïdes: Hujus folia (prima facie) Agrimoniæ foliis quàm proximè accedunt: aspera, villosa sunt,

Rachi

Rachi ſeu nervo medio (aliarum Pimpinellarum more) adhærent, uno extremum claudente gratiſſimum, contrectata ſpirant odorem, caules pedales habet: in horum cimis proveniunt, ſpicæ Glomeratæ, ſeminibus ſtriatis (gratiſſimi odoris) onuſtæ.

ℭ Piſa nana rotunda: Omnium, ſuæ familias ſunt minima, & humillima. Piſa hæc, nec prolixiore egent deſcriptione.

ℭ Piſum ſylveſtre Viciæ fructu: Primo intuitu, à folliculo ſeu ſiliqua Viciæ dignoſcitur.

ℭ Piſtachia Virginiana, ſylveſtris trifolia: Vel primo intuitu à foliorum (ternatim) diſpoſitione, ſeminumque in veſicis parvitate, notu, à vulgari, perquàm facilis.

ℭ Plantago marina quinquenervia incana: Hujus folia Plantaginis quinquenerviæ vulgaris, in omnibus, accedit: niſi quod ſint minora & villis adeò obducuntur, ut incana, aut cinere obducta videantur.

ℭ Polium rubrum majus, flore dilutiore: Hujus folia, Polii lutei vulgaris,

foliis, quàm proximè accedunt, & quoad magnitudinem, ſerraturam & incanitiem. Florem fert majorem, dilutiùs rubrum, quàm quintum Cluſ.

♃ Polyganum minus maritimum incanum: Hujus folia ſunt Polygoni marini vulgaris, multò minora, cinerei coloris, aut incana lanugine, obducta videntur.

♃ Portulaca minima flore albo: Hæc plantula eſt uncialis, in humidis arvis, ineunte æſtate, per terram ſtrata: folia producit ſemiuncialia anguſta, quodammodò craſſa. Floſculos ad nodos producit albos. Quibus deciduis, ſuccedunt, minutula ſemina, Portulacæ, ſeminibus omnimodè conformia, nigra itidem.

♃ Portulaca hortenſis flore flavo: Solo foliorum colore, à Portulaca hortenſi, ſeu culta differt.

♃ Potamogeton Virgineanum: Bipedalis aut tripedalis eſt planta: folia gerit latiora, obſcurè virentia; ſpicas triunciales, albis floribus rarò ibidèm diſpoſitis, onuſtas fert, non autem compactìm ſpicæ in modum. Semina habet triquetra, ut Perſicaria & Polygonum.

♃

℥ Ptarmica Virginiana ſolio Helenii : Hæc eſt Corymboſa, Bipedalis planta, cujus caulibus, adnaſcuntur, folia lata & oblonga, Helenii foliis haud abſimilia, flores fert (corymbatim) albidos, ſeminaque, Ptarmicæ vulgaris, ſeminibus, omninò ſimilia unde ei nomen impoſuimus.

Q.

℥ QUERCUS vulgaris brevi pediculo : Hæc facilè diſcernitur. In ſylvis annoſis, Galliæ paſsim ; à vulgari, longo pediculo, vel ipſo aſpectu. Folia habet ſinuata ; prona & ſupina parte, viridia.

℥ Quercus foliis ſubtus incanis, brevi pediculo. Datur & alia longo pediculo. Utraque folia habet anguſta, ſinuata, ſubtûs incana.

℥ Quercus Calyce Echinato, glande majore : Hæc à glandis magnitudine, & Calyce Echinis donato, inter cœteras ſuæ familias (in ſylvis annoſis, Galliæ) cognitu perfacilis.

℥

℥ Quinquefolium alpinum repens, ſerotinum: Hæc Quinquefolii ſpecies, ſub exitum autumni floret, caules per terram ſtratos gerit, ſuſtinentes flores luteos.

℥ Quinquefolium Canadenſe erectum: Hujus caules ſunt Bipedales, erecti, floſculos gerunt magnos, luteos, capſulas ſeminales, aliorum more.

R.

℥ Ranunculus arvenſis annuus flore minimo luteo: Hic Ranunculus folia gerit hirſuta, tripartita, caules edit per terram ſparſos, quorum ſummis caulibus innaſcuntur, floſculi lutei, minimi, quinis (aliorum more) petalis donati. Quibus deciduis, ſuccedunt racematim, ſemina minora, ſpinoſa aliorum more.

℥ Ranunculus nemoroſus flore albo pleno: Hic ſola plenitudine florum differt, à nemoroſo, flore albo ſimplici.

℥

♃ Ranunculus nemoroſus flore pleno violaceo: Hic paritèr plenitudine florum, & colore violaceo, differt, à nemoroſo ſimplici. Quoad folia & radices idem.

♃ Ranunculus Ceratophyllos, ſeminibus falcatis, in ſpicam addactis: Foliis eſt ter, tripartitis: Cornu cervi quodammodò referentibus è quorum medio exeunt cauliculi plurimi, triunciales, ſinguli, ſingulos ſuſtinentes floſculos (aliorum Ranunculorum more) quinis luteis petalis conſtantes; ambientibus rudimentum viride, quod tandem in ſpicam degenerat uncialem; ſeminibus falcatis onuſtam. Annua eſt plantula, præcox. Menſe Martio floret, in ſegetibus, Galloprovinciæ, & Narbonenſis Galliæ, ſatìs frequentèr: perperàm à Lobelio in adverſariis pagina 11. appingitur pro Melampyro perpuſillo; cùm Melampyrum (in genere) ſit planta Galeata, toto Cœlo, ab hoc Ranunculo, diſcrepans. Cumque omninò propiùs ad Ranunculorum claſſem accedit. Magìs appoſitè Ranunculus dicitur. Vide Hallucinationes

lucinationes Caſpari Bauh. in Pin. pag. 234. colum. 2. plant. 6.

℥ Raphanus ſylveſtris major flore luteo: Folia ſunt longa, ſerrata: aquis innatant. Flore eſt luteo, ſed dum recedunt aquæ, mutant inciſuram foliorum; florem fert luteum; (ut ante dictum) ſiliquas ſeu potius ſiliculas fert, aliorum (ſuæ claſſis) more.

℥ Raphanus minimus luteus Naſturtii folio: Hæc planta florem fert Tetrapetalum, luteum; Thecamque ſeu ſiliculam, bicapſularem: radicem etiam edit longè latéque repentem, ut Raphanus vulgaris, quin & uda, humidaque amat loca. Quæ omnia Raphani ſeſe declarant ſpeciem: folia autem gerit Naſturtii tenuitèr diviſa, ſeu diſſecta, flores ſatìs amplos luteos, pro exiguitate plantæ. Vix palmares aut ſeſquipalmares edit caules, quorum ſummis, (poſt deciduos flores) ſuccedunt ſiliculæ bicapſulares.

℥ Rapuntium Solonienſe, violaceo Galeato flore: Hæc Rapunculi ſpecies, radicem habet, aſclepiadis; caules emittit bipedales, quorum ſummis faſtigiis, eorumque

rumque alis, innaſcuntur flores Galeati, cœrulei: Rapuntii Americani, (quod flos Cardinalis Columnæ dicitur) omninò æmuli. Quibus flacceſcentibus, ſuccedunt capſulæ triangulares, (aliorum Rapunculorum more) continentes ſemina pellucida rufa. Tota planta percalida eſt, & Maſticata linguam, urendo, pungit. Creſcit in humidis ericetis & ſylvis annoſis, paſsim in agro Solonienſi, alibique in Gallia. Malè à Caſparo Bauh. in Pin. pag. 110. collocatur pro draba, flore cœruleo Galeato. Quum nil habet affinitatis, cum ſiliquoſis, cujus draba eſt ſpecies. Rapuntium Galeatum ſeſe declarat, ex ſucco lacteo emanante ex qualibet parte rupta; adde capſulam ſeminalem, & ſemina. Rapunculorum claſſi accedentia.

♃ Reſeda latifolia, flore flavo: Hæc Reſedæ ſpecies, folia gerit lata, obſcurè virentia; caules edit Bipedales, in quorum ſummis naſcuntur flores flavi (aliarum Reſedarum more) ſpicatim dipoſiti: quibus evanidis ſuccedunt, Thecæ, ſeminales tricapſulares, ut etiam, reliquis, ſuæ familias; contingit. ♃

♃ Reſeda foliis Calcitrapæ, flore albo: Hæc Reſeda, folia gerit omnimodè diviſa, quemadmodùm Reſeda vulgaris; caules edit ſeſquipedales, in quorum faſtigiis, naſcuntur, flores albi, ſtaminulis multis purpureis donati. Quibus ſuccedunt Thecæ tricapſulares; ſeu tribus loculamentis diſtinctæ; ſemina multa nigra in ſe continentes.

♃ Ricinus minimus: Omnibus ſuis partibus: cedit, majori & medio, quoad ſemina, folia & caulium altitudinem.

♃ Rubeola maritima lutea: Hæc Rubeolæ ſpecies, in ora maritima, Armoricæ. Radice longè latéque repente, reperire eſt, paſſim. Flore donatur luteo minimo (quatuor petalis conflato) flori unicuique, ſuccedunt bina ſemina teſticulata, Rubeolæ more.

♃ Rubeola minima alba: Plantula eſt in viis aridis, conſpectui, ſatis obvia: flore minimo albo, tetrapetalo aliarum more, foliis ſpinoſis donatur. Florum ſingulis, ſuccedunt bina ſemina teſticulata; cœterarum more.

S.

S.

℥ Sanicula montana crenata, umbilico pallido: Species est Saniculæ montanæ Guttatæ, cujus folia sunt oblonga tenuia, serrata, è quorum medio; foliis crenatis (Rosæ instàr) septo: exit cauliculus Dodrantalis, ruber, sustinens plurimos flores albos, (aliarum more) punctatos, umbilico pallido affectos. Quorum singulis cadentibus succedunt siliquæ singulæ bifurcatæ, aliarum Saniculârum, montanarum, & Saxifragæ Chelidonidis more, nam hæc est vera & genuina Saxifraga montana, à flore & capsula seminali, seminibus inibi contentis, datur plantæ jam delineatæ, species minor, quoad folia & caules.

℥ Saxifraga aurea Lichenis facie: Hæc Saxifragæ aureæ, species, fatìs frequentèr reperitur in rivulis aquæ dulcis, à fontibus jugibus manantibus. Folia gerit oblonga, serrata hirta per terram strata. Flosculos in alis, luteos; quin & primo intuitu,

intuitu, à Saxifraga aurea montana rotundifolia, discernitur, à foliorum, densa dispositione, & forma longa, cum alterius, montanæ, sint rotunda & rariora.

♂ Scabiosa Gramineis foliis glabris: Hæc adeò est similis, Scabiosæ: argenteo, folio, quod hæc, folio glabro sit. Altera, folio argenteo, seu, incano prædita. Utraque est Calyce membranaceo, & semine lanuginoso, donata.

♂ Scabiosa foliis dissectis, flore amplo, Calyce membranaceo, semine lanuginoso: Hæc folia, admodùm tenuitèr dissecta, Columbariæ adinstàr habet; sed flores gerit amplos, dilutè cœruleos, quorum singulis succedunt, semina lanuginosa, Calyce amplo membranaceo, donata.

♂ Scabiosa minima, annua, erecta, semine anguloso: Vulgaris instàr, hæc Scabiosæ species est. Pedales & sesquipedales profert caules, erectos. Folia, vulgaris quodammodò æmula, sed multò minora. Flores itidèm multò minores, carneos: quin & semina habet, vulgaris ritu, anguloſa.

♂

Scorzonera noſtras, pulverifera: Hæc in pratis humidis & udis, Italiæ Galliæ & Germaniæ, inter perfectas noſtrates provenit, in pratis inquam & ſylvis humidis; ſecus fluviorum margines, ſitis; à noſtrate perfectum florem & ſemina gerente, in hoc ſolo, differt, quod in hujus caulium ſummis, naſcitur, globulus, Bellidis majoris more, Calyculo inexpanſo: in cujus ſinu, loco floris continetur pulvis ferrugineus, ad Cynaberis colorem, valde accedens. Subtilitate nulli, peritiſſimi artificis manus induſtria, facto, ſecundus. Imò brevi, partìm pluviis ingruentibus, partìm humidis deciduis (nocte) vaporibus, accedente ſolis diurno calore, in materiam fæci vini ſimilem, exſiccatam, degenerat: Quam Tartarum vini, acetarii, nominant: qua tandem decidente, apparet apex cauliculi, ad modum dentis Leonis (caput Monachi dicti) floribus & pappo ſuo exutus. Scorzoneram ritè dici arguunt partium diſpoſitio & omnimoda cum Germanis ſeu noſtrate conformatio, excepto Apice. Pulverifera dicta,

quod loco floris & consequentèr seminum, pulverem (ferruginei coloris) in Calyculo caulium, Apici innascenti, gerat. Viget in omnibus pratis humidis Galliæ indifferentèr cum nostrate, seu Germanica dicta. Apex autem pulverifer, ab Aprili medio, usque ad idus Maii exactas, perseverat, nec ultra hoc tempus, ipsum conspicere licet, cum sit tantum vitium naturæ, à Cœlo aut solo proveniens. iisdem viribus, & radix & folia sunt prædita, quibus & nostras perfecta, ut ex radicis, foliorum colore, sapore, succoque lacteo, totiusque plantæ consistentia, colligere licet; idem observare licet in Tragopogo & aliis, ut sæpe nobis fuit obvium, in peregrinationibus nostris Botanicis, sereniſſimi, principis Gastonis Franciæ, impensis & liberalitate factis.

ꝺ Scrophularia foliis & caule hirsutis: Hæc Scrophulariæ species folia habet hirsuta, lanuginosa, Urticæ quasi æmula, quin & caules producit multò humiliores, vulgaris caulibus; paritèr hirsutos, flores & capsulas bivalves Pyramidales, vulgaris more habet. ꝺ

Scutellaria Americana, Malvæ folio: Planta est emittens folia, quodammodò Malvæ foliorum æmula (quoad figuram) sed majora è quibus prosilit caulis, sesquipedalis, rectus, plurimos in fastigio fundens flores verticillatos Galeatos, quibus evanidis succedunt capsulæ, tali instar, qui supponitur, mulierum Calceis, si posteriùs inspiciatur capsula, si autem superiùs consideratur capsula seminalis, Scutellam omninò refert, cavitate sua, in superiore parte. Nos hanc exoticam addimus novo generi à nobis designato. Scutellariam appellando ex variis nominibus, ab authoribus Botanicis, variis in locis dispositis: ut cuilibet consideranti, clarissimè apparebit ex doctrina de Hallucinatione Caspari Bauh. in Pin. tam in denominandis quàm digerendis plantis. Nos omnes plantas, capsulas seminales, Scutellatas, ad eundem modum efficientes Scutellatas appellavimus, & Scutellariæ, novum genus creavimus.

Securidaca peregrina: Fortè Pareseux Galicæ id est planta sensibilis pygra

Legumen eſt, cujus unicuique, foliorum Rachi, ſeu nervo medio; è regione, plurima adnaſcuntur folia, dena duodena, uno extremum claudente. Nec ſiliquam nec ſemen obſervavi. In horto Regio Bleſenſi floruit, ſed per rigorem tempeſtatis, anni periit ſine ſiliqua aut ſemine. Pigrè ſeu lentè ſe movet, tacta.

♃ Securidaca minor lutea, ſiliquis articulatis: Vide Ornithopodium ἀνιέρατον minus nobis. Scorpioïdes altera Johan. Bauh. in horto Regio Bleſenſi aucto.

♃ Sedum longifolium Citrino flore: Hæc ſedi ſpecies, à ſedo longo folio vulgari, ſolo, floris Citrini colore; differt. Quippe vulgare teritefolio; aureo ſeu luteo donatur flore, ſemen & capſula ſeminalis, hujus & illius, eadem; frequentèr reperitur in rupibus Saxoſis, ad dextram Viæ communis, eundo Bleſis, in oppidum, pictonum caput; vix milliare, ab oppido diſtantibus.

♃ Sedum teretifolium majus flore albo: A præcedenti ſolo floris colore differt. Circa Rupellam, frequens ſatis in tectis, & ſummis murorum, reperitur.

♃

☞ Senecio Jacobææ folio: Hujus folia omninò ſunt Jacobææ, in modum ſecta, ipſis in omnibus ſimilia, at dum florem edit, Senecionem ſe prodit, quia Senecio florem fert, multis ſtaminulis luteis conflatum. Sine foliis latis, ſtellatìm aut rotatìm, ipſa ſtamina cingentibus, quod videre eſt in hujus flore.

☞ Sideritis glutinoſa, bitumen redolens: Hæc Sideritidis ſpecies, Dodrantalis eſt altitudinis, cujus folia, ex adverſo ſita, ſunt hirta, glutinoſa Caulibus (binatìm) adhærentia, contacta manibus, & naribus admotis: bitumen redolent, flores albos & ſemina reliquarum Sideritidum modo fert.

☞ Sinapi ſiliqua hirſuta, ſemine rubro: Hæc Sinapi ſpecies à vulgari, ſiliqua hirſuta, ſemine albo, ſolo ſeminum colore differt.

☞ Sium minimum ferulaceis foliis: Sium hoc ad margines fluviorum, per ſiccitatem æſtatis, exſiccatorum reperitur. Vix palmarem excedit altitudinem: folia gerit ferulacea ſeu Fœniculacea, craſſa biuncialia, aut triuncialia: pediculos

parùm aut nihil Palmum ſuperantes, edit. In quorum faſtigiis naſcuntur floſculi umbellati albi, quorum ſingulis deciduis ſuccedunt bina ſemina, minuta, ſtriata, aliarum hujus generis umbellarum more.

♃ Solanum foliis & caule ſpinoſis: Hujus folia ſunt lata, anguloſa, ſinuatave, ſpinis armata, quemadmodùm etiam caules, ſpinis armantur, flores fert Solani modo, aut potiùs borraginis, ſemina nunquam obſervare licuit quippe perennis eſt planta, radice per terram longè latéque repentè, dotata. Ideò natura, minùs productioni ſeminum intenta, quod in pluribus repentibus obſervavimus.

♃ Solanum fœtidum pomo grandibus aculeis donato: At nobis, pomo aculeis craſſioribus & longioribus donato: Hæc Solani ſpecies, & folia & flores vulgaris foliis & floribus, multò gerit minora, poma autem aculeis, multò craſſioribus & longioribus prædita, fert.

♃ Solanum pomiferum fructu rotundo, parvo, molli, rubro, plano: Vulgò pomum

mum amoris hoc, dicitur authoribus. Fructu est cerasi instar (quoad magnitudinem) nunc, luteo, nunc, rubro est colore.

℥ Solanum pomum amoris, fructu, striato molli, aureo: Hujus pomum, seu fructus, solis striis, à molli aureo plano majore differt.

T.

℥ TELEPHIUM Portulacæ folio: Hæc Telephii species, sola crassitie, seu spissitudine foliorum, Portulacæ æmulorum, à cœteris suæ classis, facilè distinguitur.

℥ Teucrium regium purpureum: Hæc Chamædryos species, multò altior est vulgari, humilior Teucrio fruteſcenti vulgari: flosculos gerit amplos rubros, Galeatos. Quibus pereuntibus subveniunt semina itidèm magna: folia sunt Lucida, obscuréque virentia.

ROYAL MEDICAL SOCIETY OF LONDON
ESTABLISHED
1773

Thalictrum pratense maximum, Monspelliensium asperioribus foliis seu : Folio rugoso ; nobis. Hæc Thalictri species ad ternos quaternos, pedes ascendit. Folia, rugis scatentia, gerit, in superiori, seu prona superficie, dilutiùs virent, quam, pratense vulgare. Muscarium seu Muscosos flores edit luteos, semina rugosa (aliorum more) & striata, (excepto Thalictro Canadensi, Cornuti : quod semina gerit triangula) omnia Thalictra habent semina striata.

Thaspi Iberidis folio, tenuissimè diviso : Hoc, omninò Thlaspi Iberidis folio accedit ; in omnibus, nisi quod folia habeat, multò tenuius dissecta. Flores & semina, cœteraque partes minores.

Thlaspi Alyssum minimum : Hæc Thlaspios species, est à flore, semine omnibusque suis partibus à prioribus, (majore & minore videlicet) notu facilis, propter exiguitatem partium.

Tithymalus Caracias lanuginosus : Hic Tithymalus passim in sylvis Galliæ Solonienſis, provenit, & à foliis lanugine

ne obductis, à cœteris, suæ sortis facilè cognoscitur.

♃ Tithymalus Caracias radice repenté: Folia gerit oblonga, radicem longè latéque serpentem producit qua nota distinctu est facilis.

♃ Tithymalus Caracias radice pyriformi: Sola radicum tuberositate pyriformi, dignoscitur inter omnes Tithymalos (Caracias) dictos.

♃ Tithymalus Caracias, Salicis minoris folio: Hic à similitudine, foliorum Salicis longifoliæ vimineæ, notatu facillimus.

♃ Tithymalus Linariæ folio, lunato flore: A foliis Linariæ similibus & flore, Lunæ crescentis, referente figuram; absque longa verborum serie, facilè dignoscitur.

♃ Thymum Creticum fruteſcens: Planta, est seu potiùs Suffrutex, sesquipedalis, nudos edens cauliculos, foliolis longis, Satureiæ omninò similibus, onustos, quin & odorem fragantissimum, inter Thymi & Satureiæ, medium, suggerit.

♃ Tragopogon pratense luteum minus:

Hæc

Hæc Tragopogi ſpecies, ſola partium ſuarum, præcipuè florum & ſeminum, foliorumque parvitate, à majore differt deſcribitur à Parkinſono, in Theat. Botanico.

♃ Trifolium bitumen redolens majus: Hoc à minore omnibus ſuis partibus magnitudine ſolummodò diſtinguitur, præcipuè florum & ſeminum.

♃ Trifolium pratenſe majus album, caulibus fiſtuloſis, foliis ſubtùs punctatis nigris: Hoc Trifolium, in pratis udis & humidis creſcit. Cauliculos profert procumbentes cavos ſeu fiſtuloſos, pedales & ſeſquipedales, in quorum, ſummis alis exeunt flores ſubalbidi, ſeu Ochroleuco colore præditi. Planta hæc ad extremum pediculorum, producit terna folia ſubtùs maculata, maculis nigris ſeu fuſcis obducta.

♃ Trifolium album, ſubterraneum, Tricoccon, regium: Hoc Trifolium paritèr in udis & humentibus arvis ſeu pratis provenit. Ineunte æſtate flores fert albos, quorum ſingulis deciduis ſuccedunt, involucra, reticuli in modum, facta.

&ta. Continentia terna ſemina, utplurimùm, ſtatìm evaneſcenti flore, in terram deſcendunt rudimenta ſeminum, ſeſeque ibidem condunt, inibique perficiuntur, ideò ſubterraneum nuncupavimus. A trinis ſeminibus (utplurimùm, niſi Cœlum & ſolum refragentur) Tricoccon diximus; denique regium addidimus, quoniam, ab ipſa celſitudine ejus regia, aurelianenſi duce (ut plurimæ aliæ plantæ hic ſcriptæ) primò detectum fuit.

♃ Trifolium nodoſum capitulis Thymi: Perexigua eſt hæc ſpecies Trifolii ſub exitum hyemis: Palmares & ſeſquipalmares, edens cauliculos per terram ſtratos, ad quorum ſingulos nodos, naſcuntur floſculi minimi, quibus deciduis, ſuccedunt vaſcula plurima, ſimul ad nodos juncta: Thymi capitulis ſimilia.

♃ Trifolium Salmanticenſi affine: Hæc Trifolii ſpecies, Salmanticenſi Cluſ. adeò accedit ut idem videatur, niſi quod, (quoad omnes partes) ſit minus.

♃ Trifolium veſicarium ampullatum, Rubello flore: In humidis Sabuloſis in ora maritima Armoricæ, & prope Rupellam,

pellam, copiosè satis pullulat hæc Trifolii species, vix Dodrantalem excedit altitudinem, imò frequentèr ad palmarem vix pervenit. Flosculos globatim gerit elegantes, dilutè rubri coloris. Quibus evanescentibus, succedunt ampullæ, in modum vesicarum membranacearum; continentes, semina subflava, Trifolii fragiferi instár.

℥ Trifolium cochleatum majus, fructu globoso plano: Fructum fert Cochleatum planum, globuli instar: hoc Trifolium. Et eo nomine à cœteris Cochleatis, perquàm facilè notu.

℥ Trifolium Cochleatum, spinosum, majus, spinis sursùm & deorsùm tendentibus: Hujus fructus est Cochleatus, Cœrasi magnitudine, spinis, sursùm & deorsùm tendentibus atque hac nota, facilè cognoscitur; est & hujus alia species fructu Cerasi, itidem magnitudine, spinis rectis cujus folia sunt, cordata maculata. Medicæ Arabicæ, Camerarii instár.

℥ Trifolium Cochleatum, spinosum minus, nigrum Ciliare: Hæc Trifolii species,

cies, inter Cochleatas, radice eſt perenni, longè latéque repente, medicæ falcatæ vulgaris more ; in ſummis caulium Bipedalium, multa vaſcula, ſeu fructus Cochleatos, ſpinoſos congeſtìm fert nigros, Ciliares (guillandino, ſatìs appoſitè, medica Ciliaris dicta) quia ciliorum pilis nigris, perquàm ſunt ſimilia. Unde à radice perenni, repente: Quod ſolummodò, medicæ marinæ incanæ &, Ciliari huic medicæ guillandini, convenit, inter omnes medicas Cochleatas, facilè cognoſcuntur: cœteræ quippe annuæ ſunt.

♃ Trifolium Cochleatum ſpinoſum minus δυκάρπον, ſeu ωλυγοκάρπον hæc parva Trifolii ſpecies, mille paſſus à capite Bleſenſium, prope Cellam, Eremitarum, copioſiſſimè provenit. Eſt vix triuncialis, in Aridis illis locis ſeu collibus Saxoſis: fructum fert rotundum, Cochleatum (ad Piſi majoris magnitudinem) ſpinoſum, binatìm è nodis Caulium (per terram ſtratorum) exeuntem.

♃ Trifolium Lagapoïdes, flore pallido luteo: ſeu Ochroleucon: Hoc in ſylvis meridio-

meridionalibus, Blesensibus, satìs copiosè provenit. Folia edit terna, incana lanugine obsita: in fastigio caulium erectorum, Dodrantalium, proveniunt, spicæ oblongæ, Lagopi instár: coloris subalbidi seu potiùs (ut cum Clusio loquar) ex ὀχρωλεύκω compositæ. Semina & seminales capsulas aliorum, suæ familias more, producit.

♃ Trifolium Acetosum, Corniculatum Indicum, rectum: Hujus caules eriguntur rectâ & ad pedalem, altitudinem, folia flores & siliquas seu Cornicula fert, repentis lutei minoris, quoad omnes suas partes, multò majora. Nota insuper hoc exoticum esse, cum repens luteum minus passìm in Britannica Gallica, seu Armorica provenit.

V.

V.

ꝺ VALERIANELLA noſtras, major Scabioſæ ſemine: Hæc à Valerianella Scabioſæ ſemine, à doctiſſimo Fabio columna deſcripta & picta, ſola magnitudine ſeminum, præcipuè differt: quod, duplò ſunt majora, ipſius ſeminibus, à colum. deſcripti.

ꝺ Valerianella, ſemine hirſuto, extremo umbilicato: Hæc ſemina gerit (quoad formam ſeu figuram) Uvarum acinis, ſimilia. Sed hirta & ad extremum umbilicata, ſeu magis cava.

ꝺ Valerionella ſemine hirſuto minore rotundo: Hujus ſemen eſt hirſutius, prioris ſeminibus, valdè caucalis minoris ſemini (quoad figuram) accedens. Spontè provenit in picardiæ novalibus.

ꝺ Valerionellæ vulgaris, ſpecies major Serotina, præcox: Vulgari (dicta lactuca agnina Gerardo) præcocior eſt; verna eſt planta, ineunte vere flores fert, ſubcœruleos, ſemina compreſſa, tumidi-

uſcula

uſcula tamen habet, ſtatimque diſparet. At hæc, cum frumento ſub finem æſtatis, matureſcit. Seſquipedalis eſt planta, erecta, inter ſata creſcit, flores fert albos. Semina, prioris vulgaris ſeminibus, duplò majora, & multò craſſiora & rotundiora producit. In ſatis arvis, intra ſepta Regiæ Chambort & alibi circa Bleſas, inter ſata reperitur: ſatis frequentèr.

♃ Verbaſcum ramoſum, floribus albis parvis: Folia gerit quaſi Cinere obducta, cauliculos edit Bipedales, & Tripedales ramoſos: ſuſtinentes plurimos, flores albos, parvos. Quorum, ſingulis deciduis, ſuccedunt: Valvulæ bicapſulares, mucronatæ, duplici loculamento diſtinctæ, minuta ſemina ſubruſa, hinc indè continentes aliorum more.

♃ Verbaſcum perenne nigrum floribus albis: Hæc Verbaſci ſpecies folia gerit ſubviridia, flores gerit, itidem albos, minutos, quibus paritèr, ſuccedunt capſulæ bivalves, minutè, ſemina minuta (ut cœtera ſuæ familias) in ſe continentes perennis eſt planta.

♃

& Verbena Urticæ folio: Planta eſt Bipedalis, aliquandò altior, è regione; ad caulium. Nodos, quadratorum, bina naſcuntur folia, mucronata, Urticæ majoris foliis, haud abſimilia; ſed ſaturatiùs virent, quoad flores, & ſemina, Verbenæ vulgari, in omnibus accedit.

& Veronica ſpicata, flore purpureo: Hæc à vulgari, flore cœruleo, ſolo florum colore differt.

& Vicia maxima annua, foliis ſerratis: Hæc ſolis foliorum inciſuris, ſerræ, ſimilibus, à vulgari Vicia maxima, annua (perperàm, authoribus Faba Græcorum dicta) differt, cum hæc capreolis donetur, Viciam ſeſe declarat, porrò nec ſiliquam, nec fructum, Fabæ, conformes habet. Judicent lectores attentè. Plura addere non expedit impræſentiarúm.

& Vicia præcox verna, minima Solonienſis, ſemine Hexedro: Hæc omnium hujus ſeriei, eſt planta minima, ſub exitum hyemis, in pratis, contra Regiam Chambort, floret. Florem fert dilutè rubentem, ſiliquam vix pollicarem edit quin & ſemina anguloſa, minuta, Hexe-

dram referentia, unde ei nomen à nobis inditum, datur & Lathyrus, Gramineis foliis, ejuſdem formæ, quaſi gerens ſemina, Hexedram referentia: de quo ſupra diximus.

☞ Vicia ſiliquis glabris, flore violaceo: Eſt Viciæ .ſ. Craccæ minimæ ſpecies, ſiliquis glabris Joh Bauh.

☞ Viola Granadillæ folio: Hæc Viola exotica, ſemine & floribus, noſtrati vulgari, Martiæ, omninò conformis eſt ſimilem violaceo colore præditum, fert florem: Sed folia habet lata, ſinuoſa, in plurimos Lobos profundos diviſa Granadillæ ſeu floris paſſionis, Granadillæ majoris modo, unde ei nomen; datum.

☞ Virga aurea foliis lævibus, non ſerratis: Hæc folia gerit læviora longioraque, vulgaris Virgæ aureæ foliis: ſed nullam, in margine patiuntur ſerraturam.

☞ Virga aurea Americana, foliis ſerratis anguſtis, ſubtûs nervoſis: Hujus folia ſunt ſubtûs adeò nervoſa, & eminentèr anguſta, maximéque ſerrata, quin & radicem habet odoratiſſimam; hiſce notis notu facilis. ☞

ꝛ Virga aurea Americana hirſuta, radice odorata, foliis ſerratis: Hujus folia ſuperiùs, quaſi pube obducuntur, & hac nota cognitu inter cœteras, (junge quòd ſint multò latiora, multoque profundiùs ſerrata, ſuperioris foliis) facilis eſt.

ꝛ Virga aurea humilis Alpina: Hæc in omnibus vulgari accedit; ſola parvitate diſcrepans, eſt enim Virga aurea vulgari triplò minor. Cœtera ei par.

ꝛ Virga aurea, altera Solidago Saracenica: Foliis minùs ſpiſſis, conſtat, quàm Solidago vulgaris. Ad altitudinem, quatuor plùs minuſve pedum, aſſurgit. Frequentèr nobis fuit obvia, in declivibus, Regionis illius Galliæ (Morvan dictæ) inter Burgundiam & Burboniam ſitæ.

ꝛ Urtica racemoſa Canadenſis: Hujus folia ſunt multò obſcuriùs virentia, quàm Urticæ noſtratis majoris: inſupèr hujus folia non pungunt, quippe non copioſè pube pungente, armantur: in cœteris, ei, ſemine & floribus par.

Observationes Generaliores EX Horto Regio BLESENSI

Auctо, Collectæ:

BOTANICÆ

Rei, studiosis, necessariæ, & cognitu perutiles.

Arbores, perpetua fronde, virentes.

Pomiferæ.

Malus Aurantia. Malus Limonia. Malus Citria.

Coniferæ & Resiniferæ.

Abies. Picea. Pinus. Pinaster. Cedrus

Cedrus Libani, .ſ. Conifera.
Cupreſſus mas.
Cupreſſus fœmina.
Cupreſſus humilis .ſ Cedrus Lycea.

Glandiferæ.

Ilex Glandifera.
Suber.

Bacciferæ.

Laurus vulgaris.
Laurus Indica Baptiſt. Ferrarii.
Laurus tinus ejuſque ſpecies.
Agrifolium .ſ. Ilex Baccifera.
Juniperus.
Myrtus.
Alaternus.
Phillyrea.
Pyracantha.
Taxus.
Hedera arborea.

Aliæ variæ.

Ceraſus Lauri folio.
Thuya .ſ. Arbor vitæ.
Arbutus.
Buxus.
Althæa Syriaca.

Reſiniferæ foliis deciduis.

Larix.
Terebynthus.
Lentiſcus.
Styrax.

Frutices

Frutices & ſubfrutices perpetua fronde virentes

Barba Jovis.
Cytiſus Maranthæ.
Geniſta Hiſpanica.
Geniſta vulgaris.
Jaſminum luteum
Roſmarinum.
Roſa ſempervirens.
Sabina.
Rhus Myrtifolia.
Althæa arborea Olbiæ.
Malva Hiſpanica.
Sedum vermiculatum
Salvia Verbaſci folio & ejus ſpecies.
Atriplex Halimus, & Portulaca marina.
Chamælea tricoccos.
Laureola.
Erica ejuſque ſpecies.
Aſtragalus Bæticus.
Chamædrys Arboreſcens & vulgaris.
Colutea ejuſque ſpecies.
Ciſtus mas.
Ciſtus fœmina eorumque ſpecies.
Chamæciſtus.
Anonis montana purpurea.
Caryophyllus Creticus.
Cneorum Matth.
Ruſcus.
Hypogloſſum ſ. Laurus Alexandrina ejuſque ſpecies.
Hiſſopus.
Lavendula.
Thymum.
Satureia ſempervirens.
Pimpinella ſpinoſa. ſ. Poterion.
Ruta.
Clematis Daphnoïdes major & minor.
Abrotanum.
Abſynthium.
Smilax aſpera.
Stœchas Arabica.
Thymelæa.
Tragacantha.

Herbæ perpetua fronde virentes.

Salvia hortensis ejusque species.
Polium ejusque species.
Majorana.
Marum Syriacum.
Marum, Mastic. Gallorum.
Hedera terrestris.
Lamium luteum variegatum.
Bugula.
Prunella.
Serpillum.
Ageratum.
Aloë Americana.
Aloë vulgaris.
Yuca.
Keiri Arabum ejusque species.
Leucoium marinum incanum ejusq; species.
Leucoium viridi folio odoratissimum.
Draba repens.
Nasturtium aquaticum.
Thlaspi spinosum luteũ.
Thlaspi supinum luteum.
Cochlearia.
Anagallis aquatica.
Azarum Canadense.
Azarum vulgare.
Bellis.
Auricula ursi.
Primula veris.
Caryophyllus ejusque species.
Caryophyllus Holosteus tomentosus.
Caryophyllus minor marinus Globosus.
Armerius.
Lychnis Cotonaria .s. Coronaria.
Sedum vulgare.
Sedum Arboreſcens.
Sedum Rosaceum serratum ejusque species.
Sedum Vermiculatum ejusque species.
Telephium ejusque species.
Tithymalus Caracias ejusque species.
Tithymalus Myrsinites, &c. Sani-

Sanicula.
Pſyllium ſempervirens.
Chamæmelum nobile.
Coris cœrulea.
Cymbalaria Italica.
Eryngium marinum.
Ficus Indica .ſ. Opuntia. major. minor.
Gentianella verna.
Hypericum perfoliatum & perforatum.
Fragaria.
Jacea luſitanica ſempervirens.
Scabioſa Cretica Arboreſcens.
Trifolium hæmorrhoïdale.
Antirrhinum.
Champhorata Monſpelienſium.
Carthamus cœruleus.
Capillares omnes.
Filices quædam.
Polypodium.

Plantæ ſuccum Lacteum fundentes.

Ficus ejuſque ſpecies.
Nerium .ſ. Laurus Roſea.
Hæ duæ Arbores ſuccum reddunt; hujus viridis illius lacteus, emanat.
Apocynum ejuſque ſpecies.
Aſclepias ejuſque ſpecies.
Convolvulus ejuſq; ſpecies.
Rapunculus ejuſque ſpecies.
Campanula, Trachelium .ſ. Cervicaria ejuſque ſpecies.
Viola pentagonia, Onobrychis dicta, ejuſque ſpecies.
Cichoreum Intybus ſeu Endivia

Endivia ejusq; species.
Lactuca ejusque species.
Sonchus ejusque species.
Chondrilla ejusque species.
Hieracium ejusq; species.
Piloſella ejusque species.
Dens Leonis ejusq; species.
Tragopogon ejusq; species.
Scorzonera ejusque species.
Carduus Scolymus seu Eryngium luteum.
Seseli paluſtre lacteſcens.
Thyſſelium Dod.
Plurimæ umbellæ montanæ, ex radice inciſa, ſuccum fundunt lacteum.
Papaver ejusque species.
Rhœas ejusque species.
Argemone ejusque species,
Tithymalus ejusque species.
Eſula & ejus species.
Cataputia, peplus, peplis, Chamæſyce.
Hæ duæ Plantæ ſequentes ſuccum fundunt rubentem.
Beta rubra.
Lapathum ſanguineum.
Chelidonium majus ſuccum reddit aureum.

Plantæ tuberoſæ .ſ. tuberoſa radice prædítæ.

ANEMONE, omneſque ejus ſpecies.
Pulſatilla.
Ranunculus
- Aſiaticus.
- Illyricus.
- Montanus.
- Grumoſus, tuberoſus.
- Chelidonium minus.
- Aſphodeli radice.
- Rutæ folio, &c.

Geranium
- Triſte Cornuti.
- Tuberoſum.
- Batrachoïdes.
- Hæmatodes, &c.

Cotyledon
- radice rotunda.
- radice oblonga.

Rhodia radix.
Telephium ejuſq; ſpecies.
Saxifraga alba Chelidonides.
Bulbocaſtanum.
Orchis
- Teſticulata.
- Palmata, diverſæ earundem, omnes ſpecies.

Dens Caninus.
Dentaria.
Fumaria
- Canadenſis tuberoſa: Cornut.
- radice cava,
- radice non cava.

Biſtorta ejuſque ſpecies.
Doronicum radice
- Brachiata.
- Scorpioïde.

Chryſanthemum radice
- rotunda vide
- oblonga Battatas.

Aconitum ejuſque ſpecies & anthora.
Pimpinella ſanguiſorba.
Scrophularia.
Panax Coloni .ſ. Sideritis ſtrumoſa.
Cariophyllata.
Tormentilla.
Lathyrus v. Apios
- noſtras.
- Americana Corn.
- Sylv. repens Park.

Cycla-

Cyclamen ejuſque ſpecies.
Arum.
Ariſarum.
Dracuntium.
Symphytum tuberoſum.
Solanum tuberoſum vide Battatas.
Calceolus mariæ.
Orobanche ſeu Rapum Geniſtæ & Dentaria.
Tithymalus { Apios. Pyriformi-radice.
Polygonatum .ſ. ſigillum Salomonis.
Accorus verus.
Iris tuberoſa ejuſq; ſpecies.
Ariſtolochia { rotunda. longa.

Battatas { Indiæ Occidentalis .ſ. Inhame Orientalis luſitanorum, ſpecies Convolvuli lacteſcentis. Canadenſis, Chryſanthemi ſpecies Virginiana, Solani ſpecies.
Bryonia { alba. nigra.
Gramen { Nodoſum. Typhodes ſeu Perlarum inſtar.
Cyperus { edulis Thraſi. litoreus inodorus. aliæque ejus ſpecies.

Nymphæa lutea major.

Plantæ,

Plantæ, Carnosa radice, præditæ:

Coniformes seu Pyramidales.

Asphodelus { albus. luteus.
Alectorolophos alpina.
Rapuntium, Trachelium, Campanula eorumque species.
Napus.
Rapum radice { longa. rotunda.
Raphanus sativus { ruber niger.
Raphanus rusticanus & sylvestris.
Beta rubra radice Rapæ.
Lapathum ejusque species.
Oxalis ejusque species.
Dens Leonis.
Tragopogon.
Scorzonera.
Centaurium majus ejusque species.
Carlina.
Eryngium.
Fœniculum.
Sisarum.
Ænanthe ejusq; species.
Apium ejusque species.
Pastinaca sativa, latifolia.
Pastinaca sativa tenuifolia, Carota.

Omnes Umbellæ montanæ, luteos gerentes flores, radicem habent crassam, carnosam, Coniformem, s. Pyramidalem cum medulla duriore in meditullio: Lacteſcunt ut plurimum.

Nardus radice { olivari. oblonga.
Circium ejusque species.
Valeriana.
Filipendula.
Mentha tuberosa.
Pœonia ejusque species.
Mandragora.
Mirabilis peruviana.

Arbores

Arbores Calidæ.

FIcus.
Nerium.

Bacciferæ Calidæ.

Terebinthus.
Lentiſcus.
Laurus domeſtica.
Laureola, ſempervirens.
Mezereon Germanicum.
Chamelæa tricoccos.
Thymelæa.
Rhamnus ſolutivus.

Coniferæ & Reſiniferæ Calidæ.

Abies.
Picea.
Pinus.
Pinaſter.
Cedrus Libani .ſ. Conifera.
Larix.
Thuya .ſ. Arbor vitæ.
Cupreſſus.
Cedrus Lycia; cupreſſi minor ſpecies.
Juniperus.
Sabina.
Styrax ſeu Storax.

Subfrutices Calidi.

Roſa ejuſque ſpecies.
Apocynum ejuſque ſpecies.
Aſclepias ejuſque ſpecies.
Clematis ejuſque ſpecies.
Lupulus.

Plantæ

Plantæ Calidæ.

Convolvulus ejusq; species.
Nasturtium Indicum.
Glycyrrhiza vulgaris.
Melilotus ejusq; species.
Fœnugræcum.
Iris tuberosa.

Bulbosæ Calidæ.

Crocus autumnalis, saltem ejus stamina.
Cepa.
Allium.
Moly.
Porrum.
Scilla.
Lilium album.
Narcissus.
Hyacinthus.
Rapunculus seu Campanula ejusque species.
Trachelium seu Cervicaria ejusque species.
Gratiola.
Hypericum.
Ruta.

Siliquosæ tretrapetalæ Calidæ.

Brassica.
Sinapi.
Eruca.
Nasturtium siliquosum.
Draba siliquosa.
Erysimum seu Irio.
Napus.
Rapum.
Rapistrum.
Raphanus sativus s. Radicula.
Leucoium.
Hesperis.
Dentaria.

Siliculosæ

Siliculoſæ tetrapetalæ Calidæ.

Thlaſpi.
Naſturtium ſiliculoſum.
Burſa paſtoris.
Cochlearia.
Iberis.
Lepidium.
Draba ſiliculoſa.
Raphanus ſylveſtris.
Raphanus hortenſis ſeu Ruſticanus.
Myagrum.
Rapiſtrum Monoſpermon.
Coronopus Ruellii.
Veronica ejuſq; ſpecies.
Polygala.
Perſicaria urens.
Agrimonia.
Lactescentes Cichoraceæ & pappoſæ, per ſe omnes (quippe amaræ) ſunt Calidæ.

Corymbiferæ Calidæ.

Conyza.
Abrotanum.
Abſynthium.
Artemiſia.
Tanacetum.
Matricaria.
Chamæmelum.
Millefolium.
Ptarmica.
Ageratum.
Pimpinella & Agrimonoïdes Col.
Umbelliferæ omnes ſunt magis aut minùs Calidæ.

Verticillatæ Galeatæ, Calidæ.

Mentha.
Calamintha.
Clinopodium.
Pulegium.
Marrubium.
Dictamnus verus.
Pſeudodictamnus.
Bætonica.
Stachys.

Stachys.
Sideritis.
Lamium.
Meliſſa.
Tragoriganum.
Origanum.
Salvia.
Horminum.
Acinos.
Meliſſa peregrina.
Polium.
Chamædrys.
Chamæpitys.
Roſmarinum.
Hyſſopus.
Lavendula.
Stæchas.
Majorana.
Thymum.
Serpillum.
Satureia.
Ocimum.

Calidæ variarum claſſium.

Centaurium minus.
Pulſatilla.
Anemone ejuſque ſpecies.
Ranunculi omnes, exceptis Perpaucis.
Arum.
Ariſarum.
Dracunculus major.
Capſicum ejuſq; ſpecies.
Tithymali omnes, Eſulæ & Cataputia.
Sedum vermiculatum acre.

Purgantes omnes ſunt Calidæ: vide infra Purgantes.

Plantæ Frigidæ:

Pomiferæ Scandentes.

Melo.
Cucurbita.
Pepo.
Citrullus ſ. Anguria.
Cucumis.

Dum ſucco alimentitio abundant, refrigerant, at ſemina (quippe oleo abundant) exſiccata, calefaciunt: Contra commune Dogma.

Beta.
Blitum.
Mercurialis.
Spinachia.
Lapathum.
Acetoſa.
Biſtorta.

Lactescentes Cichoraceæ & pappoſæ per accidens ſunt Frigidæ, dum ſucco alimentitio abundant: at quatenus amaræ Calefaciunt, & apperiunt.

Acanthus.
Plantago.
Holoſteum.
Coronopus, ſpecies Plantaginis.
Pſyllium.
Viola.
Malva.
Althæa.
Mercurialis.
Mandragora.
Hyoſcyamus,
Portulaca.
Sedum ejuſque ſpecies omnes, præter acre.

Telephium

Telephium.
Cotyledon.
Saxifraga { Chelidonides / Aurea.
Sanicula.
Papaver ejusque species, per accidens dum succo alimentitio abundant; ut & Cichoraceæ & papposæ lactescentes refrigerant: de quibus alibi prolixiùs discutietur.

Arbores, frutices, subfrutices, & Plantæ purgantes.

Sorbus, ornus dicta, ex qua manna elicitur.
Tamarindus.
Cassia solutiva.
Rhamnus Catharticus.
Malus Persica ejus flos.
Henna.
Genista.
Rosa { pallida / alba Mos-chata } utriusque flos.
Laureola.
Mezereon Germanicum.
Chamelæa Tricoccos.
Tarton Rare.
Alypum montis Cete.

Plantæ purgantes succo.

Aloë vera.
Convolvulus ejusq; species (*per excellentiam Scammonia Syriaca s. Antiochana est hujus species; ex qua fit diagredium.*
Cucumis Asininus *ex quo extrahitur elaterium.*
Tithymalus, Esula & Cataputia: *quorum succo lacteo, adulteratur diagredium.*

Purgantes Radicæ.

Filix fœmina.
Polypodium.
Lapathum ejuſq; ſpecies: *per excellentiam Lapathum, Rhabarbarum eſt præſtantiſſimum.*
Helleborus niger & albus.

Purgantes, aut vomitum cientes foliorum infuſione, aut decoctione.

Sedum vermiculatum,
Narciſſus.
Gratiola.
Braſſica rubra, criſpa.
Centaurium minus.
Linum Catharticum.
Cnicus ſ. Carthamus, *ſemine purgat.*

Plantæ Venenatæ.

Nerium.
Apocynum.
Aſclepias.
Lolium.
Colchicum.
Cicuta.
Pyrethrum.
Solanum lethale.
Aconitum.
Fungi lethales.

Plantæ

Plantæ Vulnerariæ.

Pimpinella.
Apium.
Cicuta.
Marrubium.
Betonica.
Stachys.
Syderitis.
Salvia.
Horminum.
Hedera terreſtris.
Chamædrys.
Chamæpitys.
Bugula, Brunella.
Bellis.
Milleſolium.
Verbena.
Polygonum.
Polygonatum.
Alchimilla.
Sanicula.
Caryophyllata.
Plantago.
Pſyllium.
Ariſtolochia.
Cynogloſſum.
Symphytum.
Pulmonaria.
Nicotiana.
Craſſula ſeu Telephium.
Sedum.
Scabioſa.
Conſolida regalis.
Virga Aurea, Doria, & Solidago Saracenica.

Plantæ Culinariæ.

Legumina, fructus horum inſerviunt Culinæ.

Phaſeolus.
Piſum.
Lathyrus.
Ochrus.
Lens.
Faba.
Lupinus.
Glycyrrhiza. *Hujus radix expeditur in Culina & Pharmacis.*

Plantæ Culinariæ.

Cærealea, horum grana inſerviunt Culinæ.

Triticum.
Secale.
Hordeum.
Oriza.
Avena.
Panicum.
Milium.
Panicum Indicum, Maïz dictum.

Plantæ Culinariæ.

Bulbi & folia, harum inſerviunt Culinæ, & Pharmacis.

Cepa.
Allium.
Moly.
Porrum.
Scilla.

Plantæ Culinariæ.

Radices harum inſerviunt Culinæ.

Rapuuculus ſeu Campanula.
Napus.
Rapum.
Raphanus { Sativus .ſ. Radicula. / Niger Icon. Lob.
Raphanus ruſticanus.
Beta rubra Romana, ſeu Rad. Rapæ.
Trogopogon.
Scorzonera.
Chryſanthemum tuberoſum, *vide* Battatas de Cannada.
Solanum Eſculentum, *vide* Battatas de Virginea.
Convolvulus, Indiæ Occidentalis Inhame, *vide* Battatas ſuprâ.
Siſarum.

Siſarum.
Paſtinaca latifolia.
Paſtinaca tenuifolia ſeu Carota.
Apium ſeu Petroſelinum.

Plantæ quarum folia inſerviunt Culinæ, cocta.

Braſſica & ejuſque ſpecies.
Thlaſpi Holeraceum.
Naſturtium hortenſe.
Eruca ſativa.
Beta vulgaris ſativa.
Bonus Hendricus.
Spinachia.
Lapathum.
Acetoſa.
Lactuca ejuſque ſpecies.
Cichoreum, Intybus ſeu Endivia.
Tragopogon.
Scorzonera.
Calendula, hujus etiam flores.
Urtica minor & major.
Apium ejuſque ſpecies.
Cerefolium.
Myrrhis odorata.
Tanacetum.
Mentha.
Majorana.
Roſmarinum.
Thymum.
Satureia.
Borrago.
Bugloſſum.
Portulaca.

Plantæ quarum folia uſurpantur in Acetariis.

Lactuca.
Acetoſa.
Cichoreum.
Pimpinella ſpicata minor.
Braſſica minor (Brocali Italis) dicta.
Valerianella ſeu Lactuca agnina.
Viola pentagonia.

Coronopus hortenſis.
Sedum vermiculatum inſipidum, ejuſq; ſpecies.
Naſturtium { hortenſe. aquaticum.
Ptarmica .ſ. Dracunculus hortenſ. Aſtragon dictus.
Cerefolium.
Myrrhis nova æquicolorum & odorata.
Apium.
Cinera aculeata Hiſpanica.
Apium Italicum ſeu Seleri.
Lactuca Romana.
Cichoreum criſpum.
Harum quatuor folia & coſtæ ſeu Nervi medii, dealbata, evadunt tenera.
Chrith- { Umbelliferum. mum { Chryſanthemũ.
Folia utriuſque ſale, & aceto condita, Menſæ inſerviunt, hyeme pro acetario: quemadmodum,
Flores inexpanſi Cappa-ris, Geniſtæ, & Naſturtii Indici, eodem modo ſale, & aceto Macerati hyemalibus Embammatis inſerviunt ut & fungi Eſculenti.
Cucumis, *hujus fructus, rudimenta: ſale, aceto & ſemine Anethi, condiuntur & Menſæ inferuntur.*

Plantæ Culinariæ.

Quarum ſemina Culinæ inſerviunt.

Sinapi.
Eruca.
Fœniculum.
Cuminum.
Carui.
Aniſum.
Coriandrum.
Anethum.

Plantæ.

Plantæ Culinariæ.

Harum Turiones inſerviunt Culinæ.

Aſparagus.
Lupulus.
Sambucus.
Capſicum, *hujus ſiliquarum aut capſularum pelliculæ, loco Piperis in Gallaprovincia, Gallia Narbonenſi, aliiſq; locis, inſerviunt Culinæ. Quin & in Africa aceto, ſale & Saccharo condiuntur, & ab incolis avidè expetuntur pro Cordiali optimo.*
Cinera ſativa; *capita hujus, Culinæ inſerviunt.*

Plantæ Culinariæ.

Harum Fructus pulpoſi inſerviunt Culinæ, Menſæve.

Melo.
Pepo,
Cucumis.
Citrullus ſeu Anguria.
Cucurbita.

Arbores

Arbores Pomiferæ, quarum Fructus inſerviunt Culinæ, Menſæve.

Malus ejuſq; variæ ſpecies.
Pyrus ejuſque diverſæ ſpecies.
Malus { Aurantia. Limonia. Citria.
Malus { Cydonia. Punica.
Sorbus.
Ficus.
Meſpilus.
Morus.

Arbores, Oſſeam nucem, carne obductam, habentes; quarum Fructus exterior & interior inſerviunt Menſæ.

Malus { Perſica ejuſque diverſæ ſpecies. Armeniaca.
Prunus & ejus variæ ſpecies.
Ceraſus ejuſque variæ ſpecies.
Olea.
Palma.

Arbores Nuciferæ, harum fructus interior, inſervit Menſæ ſeu Culinæ.

Amygdalus.
Nux juglans.
Corylus.
Caſtanea.

Arbores

Arbores ſeu potius Frutices, quorum Fructus inſerviunt Culinæ, Menſæve.

Berberis.
Labruſca.
Vitis vinifera.
Rubus Idæus.
Rubus.
Ribes.
Uva criſpa.
Myrtillus Germanorum.
Fragaria, *hujus plantæ, fraga, inſerviunt Menſæ.*

FINIS.

Hallucinationes

CASPARI BAUHINI

IN

PINACE,

Tam in digerendis,

Quam denominandis Plantis:

ITEM

Animadversiones, in tres Tomos, universalis Historiæ, Plantarum;

JOHANNIS BAUHINI.

Quibus accessit

Dialogus inter Socium Collegii REGII *LONDINENSIS, Gresham* dicti, & *Botanographum* REGIUM.

Præludiorum Botanicorum *pars altera.*

AUTHORE

ROBERTO MORISON Medico & Professore *Botanico*, serenissimo *CAROLO* secundo, magnæ *Britanniæ*, &c. REGI.

Doctis (in Arte) scribo:
Indoctos docebo.

Illustrationes

CASPARI BAUHINI

IN

PINACE,

Tam in digerendis

Quam determinandis Plantis;

ITEM

Animadversiones, in hujus Operis, universalis

Historiæ, Plantarum;

JOHANNIS BAUHINI.

Quibus accessit

Dissertatio inter Socium Collegii REGII

LONDINENSIS, Stephanum Gilli & Botanophilum

REGIUM.

Præludium Botanicum pars altera.

AUTHORE

MORRISIO MORISSON Medico & Professore Botanico, serenissimo CAROLO secundo, magnæ Britanniæ, &c. REGE.

Dublin (in Arce) Cyclo:

Impensis Auctoris.

SERENISSIMO
ET
CELSISSIMO PRINCIPI,
DOMINO
JACOBO
Eboracensi & Albanensi, &c.
DUCI.

Serenissime PRINCEPS:

EA *Medicinæ parte* (*quam* Botanicen, *seu vegetabilium Scientiam appellamus*) *nullam jucundiorem aut delectabiliorem, unquam judicavit serenissimus vester Avunculus,*

vunculus, Gaſton. Franciæ, *Dux* Aurelianenſis *in Arte, aut (ſi mavis) Scientia* Botanica, *verſatiſſimus Princeps. Ille enim ab adoleſcentia ad ultimum ſpiritus halitum; Scientiam hanc* Botanicam, *rite coluit amavitque. Quin & affirmare audacter audeo; (noli credere me Celſitudinis veſtræ Regiæ auribus dare) poſt* Salomonem, *in re* Botanica, *oculatiorem ipſo principem; orbem nunquam tuliſſe. Hortum ſuum Regium* Bleſenſem; *omnium hortorum, qui unquam in* Europa *extitere, plantis omnis generis refertiſſimum: moriens reliquit. Atque vivus & valens, lapſus ſeu hallucinationes* Caſpari Bauhini, Coryphæi *omnium* Botanicorum, *ante ſe ſcribentium; obſervare in votis habuit. Nobiſque in mandatis, per aliquot annos,*

Bleſis

Blesis *commorantibus dedit. Quod faciendum in nos suscepimus; non minore ardore, quam si ipse in vivis fuisset. Et jam tandem, partim sub ipsius Auspiciis ante obitum, partim sub serenissimi Domini, Domini nostri, Regis Auspiciis: ut Beatæ memoriæ Principis & Domini mei quondam, (nunquam satis mihi deplorandi) votum persolveremus, easdem* Caspari Bauhini, *in Pinace hallucinationes, tam in digerendis quam denominandis plantis in lucem dedimus. Item alterius seu secundi, omnium* Botanicorum Coryphæi, Johannis Bauhini, Caspari *Fratris: animadversiones pariter, in tres Tomos, historiæ suæ universalis; Typis commisimus. Tenuem hunc nostrum laborem, Celsitudini vestræ Regiæ, inscribere & dicare: (quippe quod votum serenis-*

simi Principis Avunculi vestri fuerit) non tenuem puto esse gloriam. Dum duorum Fratrum Caspari *&* Johannis Bauhini, *hallucinationes seu lapsus observo. Eo magis aliquid, Celsitudini vestræ Regiæ (pro Patrocinio vestro) Encomii advenire putarem: quod ambo, omnium* Botanicorum, *quotquot unquam extitere; (absque controversia) vere* Coryphæi *fuere. Uterque docte, concinue & valde laborioſe scripsit.* Casparus Bauhinus, *Pinacem suum, opus fuisse quadraginta annorum asserit.* Johannes Bauhinus *in compilandis tribus Tomis, historiæ suæ universalis; quinquaginta annos, sese insumpsisse affirmat. Accipe igitur (serenissime PRINCEPS) benigne, hos nostros labores per aliquot annos exantlatos. Et favore tuo nos intueri dignare:*

Et

Et ad majora, & ab omnibus hujus Artis maximopere desiderata, audenda, nos incitabis, inque æternum tibi devincies.

Serenissime Princeps

Vestrum devotissimum

&

Obsequentissimum Clientem.

ROB. MORISON.

PRÆFATIO
AD
Lectorem Botanicum.

QVorundam Botanicorum *votis satisfacere cupiens, præludia* Botanica *typis committere, animum induxi tandem meum. Cum jam præludiorum meorum* Botanicorum, *pars prior, penitùs prelo excesserit. Hallucinationes* Caspari Bauhini *in Pinace, tàm in digerendis, quàm denominandis plantis; à me observatas, habes. Item animadversiones in tres tomos, historiæ universalis* Johannis Bauhini *offero. Easque publici juris facio; ut penes quos est ejusdem* Johannis Bauhini, *plantarum historia universalis, tribus tomis digesta: ad manum paritèr haberent, ipsius errata. Noli quæso (amice lector) me gloriosum aut insolentem existimare scriptorem: quod non solùm hujus sæculi, sed omnium (quotquot adhuc extitêre)* Botanicorum; *Coryphæos duos,* Casparum & Johannem Bauhinum *Fratres, corrigo. Ex frequenti enim*

ipsorum

ipsorum voluminum inspectione, & ex longâ & diutinâ eorundem examinatione. Ipsos; summi judicii, indefessi laboris, & incomparabilis doctrinæ (*in Scientiâ* Botanicâ) *homines fuisse observo: ipsosque seu fato, seu naturali propensione; maximum in promovendis studiis* Botanicorum, *habuisse desiderium; paritèr declaro. Errásse tamen multotiès utrumque, nemo* (*in re* Botanicâ, *mediorcitèr versatus*) *inficias ibit; hos meos tractatulos legendo. Labi nihilominùs, humanum esse confiteor; homo sum ipse, humani à me nihil alienum puto; in hisce meis tractatulis, hallucinatum me esse non dubito. Quapropter hallucinationes meas, ab amico lectore, notari desidero. Quin & paritèr observabit lector, me hæc concinásse, tàm ut voto meo prædicto satisfieret, quàm ut publicis inservirem commodis. Et quam ego de Fratribus* Bauhinis Coryphæis; *eandem de me existimationem habeat lector, velim.* Vale,

(Amice Lector)

Tuus humillimus

servus & ad omnia paratus,

Rob. Morison M. & P.B.R.

Hallucinationes

CASPARI BAUHINI

IN

PINACE,

Tam in digerendis,

Quam denominandis Plantis.

Pag.27 SEsamum & Erysimum cœreale, malè inter cœrealia propriè dicta, ob usum collocantur post Lapathum, Acetosam, Bistortam, quippe semine triangulari præditum. Erysimum cœreale, collocari debet. Ad siliquosas Heteroclitas seu impropriè dictas, transmittatur Sesamum.

Pag.

Pag. 34. Column. I. Acorus adulterinus, malè à Bauhino, cum Acoro julifero seu vero, collocatur, cum adulterinus, Iridis florem gerit; ad Iridum latifoliarum classem, cum Ger. & Eyst. relegandus, ut rationi consentaneum videtur.

Pag. 40. Col. II. Iris tuberosa amandetur ad Iridum tuberosarum classem, nec aptè collocatur inter Iridem bulbosam & Sicyrinchium.

Pag. 47. Col. II. Plant. III. Hyacinthus Indicus tuberosa radice, malè inter bulbosas propriè dictas collocatur.

Pag. 80. Lilium Asphodeli radice, aptiùs (mea opinione) cum Asphodelo & Phalangio, pag. 28, vel 29. collocaretur.

Pag. 89. Bauhin. collocat Rapum, & pagina 95. collocat Rapistrum Napum, & interjicit pag. 92, 93, 94. Campanulatas, Rapunculos scilicet, & Campanulas, Trachelium ve; siliquosas à siliquosis disjungit, quod non est faciendum. Insuper Rapistri siliquæ sunt crassæ fungosæ, articulatæ, ideò aptiùs post Raphanum sativum; vel radiculam, collocaretur Rapistrum.

Pag. 91. Col. I. Pl. VIII. Batatas Camotes Hispanorum

Hiſpanorum Cluſ. hiſt. eſt verus & genuinus Convolvulus, quare malè cum Aloë inter ſiliquoſas collocatur, quamvis radices illius ſunt edules. De his quæ vidi & colui, judicium fero, de aliis exoticis in illo capite, mihi nunquam viſis: nihil dico.

Pag. 92. Col. I Plant. XIII. Campanula lutea Linifolia Ger. repetitur p. 214. col. I. pl IX. ſub Campanula lutea Linifolia Adv. Lob. Linum ſylveſtre luteum foliis ſubrotundis C. B. Pin. cujus vera eſt ſpecies & flore & ſemine; Campanula autem non eſt, quia nec lacteſcit nec ſemen minimum Lucidum (aliarum Campanularum more) fert.

Pag. 94. Col. II. Pl. X. Campanula foliis Echii C. B. Pin. & Trachelium θυρσοειδες Cluſ. ipſi Cam. & pag. 254. col. II. pl. VII Echium Alpinum luteum C. B. Pin. Trachelium θυρσοειδες Cluſ. Trachelium ſeu Campanula eſt, quippe lacteſcit non autem Echium; bis tamen repetitur.

Pag. 95 Col. II. Pl. V. Rapiſtrum Italicum ſiliquis longiſſimis C. B. Pin. ſylveſtre Irionis folio Col. Idem repetitur pag. 101. col. II. pl. V. Eryſimum anguſtifolium majus C. B. Pin. Rapiſtrum ſylveſtre Irionis folio Col.

Pag.95.Col.I.Pl.I. Rapiſtrum flore luteo C. B. Pin. eſt vera Sinapi ſpecies, (Rapiſtrum eſt utplurimùm ſiliqua articulata) ergò ad ſiliquoſas Tetrapetalas, Sinapi. Erucam, Naſturtium, Drabam cum reliquis ſequentibus, amandetur. Rapiſtrum Monoſpermum cum non ſit ſiliquoſa Tetrapetala planta; ſed, ſiliculoſa, ad calcem ſiliculoſarum, debet referri.

Pag.96.Col.II Pl.V.& pag.97. Raphanus ruſticanus & aquatici duo, non debent collocari inter Raphanos. Cum ſiliquas Raphani ſativi, ſeu radiculæ non ferant, ſed capſulas binas ſiliculaſve Lepidii aut Iberidis inſtár.

Pag.97. Col.I. Pl.III. Dentillaria (mea opinione) non ad Lepidium referri debet, cum nec florem nec capſulam ſeminalem, conformem Lepidii capſulis, aut ſiliculis habeat.

Ibidem Lepidium & Iberis malè collocantur inter ſiliquoſas cum capſulares ſeu ſiliculoſæ ſint, debent ad calcem Thlaſpios transferri.

Pag 98. Dracunculus, ejuſque ſpecies; malè collocantur inter capſulares & ſiliquoſas

quosas à C.B. in Pin. quare ad Corymbosas .s. Corymbiferas, veluti ageratum, Millefolium & hujusmodi affines; relegentur Dracunculus hortensis, & Ptarmicæ.

Pag.99. Col.I. Pl.X. Eruca maritima Italica, siliqua hastæ cuspidi simili C. B. Prodr. Cakile Serapionis Lob. duæ plantæ diversæ, quoad semina confunduntur à Bauhino, una semen fert planum; altera, cuspidi hastæ simile: ut clarè videre licet figuram in Prodr. à Bauhino exhibitam, eamque si quis cum Lobelii figura in Iconibus comparet.

Pag. 100. Reseda & luteola cum non sint Tetrapetalæ siliquosæ, malè disponuntur inter Erucam & Erysimum, Tetrapetalas siliquosas.

*Pag.*101.*Col II.Pl.V.* Erysimum angustifolium majus C. B. Pin. Rapistrum sylvestre Irionis folio Col. Bis repetitur, nempè suprâ pag 95.col.II.pl.V. & hic p.101.col.II.pl.V.

Pag. 101. Perficaria seu Hydropiper malè inter Tetrapetalas siliquosas collocatur cum sit semine triangulari prædita, ad Lapathum, Bistortam, Polygonum, aliasque (ejus generis) referri debet.

Pag. 102. Piper Indicum cum non sit planta Tetrapetala siliquosa, malè hic collocatur à Bauhino, potiùs ad Solanum referatur; cujus, est species à flore & semine, seminisque Thecis, seu involucris. Si objiciatur qualitas Urens; quæ non reperitur in ulla Solani specie, facilè respondetur Ranunculos quosdam, esse insipidos seu dulces; quamvis maxima eorum pars, sit caustica prædita facultate.

Pag. 103. Nasturtium hortense latifolium & crispum malè illic disponuntur, cum non sint siliquosæ, ut cœteræ illius sectionis, sed siliculosæ, ergò ad siliculosarum classem amandentur.

Pag. 104. *Col. II.* Nasturtium Petreum folio bursæ postoris; item Nasturtium pumilum vernum; Nasturtium Alpinum capsula Nasturtii hortensis; & Nasturtium Osyridis folio, cum sint siliculosæ plantæ, ad Thlaspios, Drabæ, Cochleariæ Bursæ pastoris calcem, aut classem, referantur; non autem confundendæ cum siliquosis.

Pag. 106. *Col II. Pl.V.* Thlaspi umbellatum Nasturtii folio Monspeliacum C.B.Pin. Narbonense umbellatum Tab. Ger. eadem planta

planta repetitur pag. 107. col. II. plant. III. Thlaspi Alyssum dictum maritimum C. B. Pin. Umbellatum Narbonense Ger.

Pag. 108, & 109. Bursæ pastoris, similis siliquosa major & minor, non debent inter Bursæ pastoris species recenseri cum non sint siliculosæ : amandentur ad siliquosas. Ibidem Myagrum siliqua longa, ad siliquosas referatur cum Gerardo : dicatur Eruca sylvestris angustifolia.

Pag. 109. Drabæ siliculosæ ad siliculosas & Tetrapetalas plantas : siliquosæ ad siliquosas referantur, ut Tollatur confusio generum.

Pag. 110. *Col. II Pl. VIII.* Draba flore cœruleo Galeato, malè denominatur Draba à Bauhino, cum nec sit planta Tetrapetala, siliquosa, nec siliculosa. Rapunculi species est ; Galeato flore violaceo : quemadmodùm flos Cardinalis colum. est Galeato Coccineo flore. Vide Rapuntium Urens Solonienſe in horto Regio Blesensi aucto, & inter plantas non scriptas à me exhibitas.

Pag. 110. Alliaria malè inter Drabam & Cochleariam collocatur : ad siliquosas nempè Hesperides seu violam Matronalem referatur.

Pag. 113. Isatis malè illìc collocatur, inter Tetrapetalas siliquosas, & multò ineptiùs, Anil ob usum colorandi, cum sit perfectè planta leguminosa.

Pag. 114, *&* 115. Spinachia malè pro genuino Lapatho recensetur cum non habeat semina triquetra, Lapathi instàr, subjungi debet Lapatho, quemadmodum bonus Hendricus.

Pag. 116. *Col.* 1. *Pl.* V. Graviter Hallucinatum fuisse C. Bauhinum in Pinace conjicio, dum inter Lapatha collocat Apocynum Syriacum, seu Bedelzar Arabum, cum ne vel notulam Lapathorum generi communem, habeat: sed Apocynum à lacte (dum rumpitur) manante, siliquisque Sericea lanugine, refertis, seminibusque. Apocynum sese prodit, vel Medriocritèr in arte Botanica versato; ad Apocyni classem, referri debere apparet. Hujus, lanugine Sericea, Togæ cubiculares pretiosiores apud Turcas componebantur calidæ & læves, quæ ab aliquot annis non pretiosa illa intertextura quæ Gallicè dicebatur Wat. ex seminalibus hujus Bedelzar involucris, præparata; sed Gossipio seu Xylo ex Americæ insulis

insulis adjacentibus: nunc communitèr fiunt. Prædictæ Togæ cubiculares & vili pretio væneunt.

Pag. 117. *Col. II. Pl. V.* Rhaponticum folio Helenii incano, malè hic disponitur cum Rhabarbaro (quod per excellentiam Lapathum est,) ergo reddi debet ad calcem plantarum capitatarum (quarum flores abeunt in pappos) ut sunt jacea Stœbe Cyanus, &c. Ibidem idem dicendum de Centaurio majore, ejusque speciebus quæ omnes debent amandari ad classem antedictam. Observa insuper Rhabarbarum esse per excellentiam optimum Lapathorum: à semine triangulari Lapathi simili.

Pag. 123. *Col. II. Pl. III, & IV.* Lactuca montana purpurocœrulea, major & minor, malè inter Lactucas collocantur, cum & semen & conformationem partium, cum Soncho habent.

Pag. 124. Lampsana non est tam Soncho affinis quam Cichoreo: quippe ut Cichoreum semina solida, angulosa, non autem in pappos abeuntia (ut Sonchus) producit. Ergò magis appositè dixisset C. Bauhinus Cichoreo affinis Lampsana domestica.

Pag. 122, & 131. Jacobæa & Senecio cum ſunt ſtellatæ & pappeſcentes debent ad ſtellatas & pappeſcentes, Aſterem, Conyzam, Doronicum, Helenium, &c. Non autem jungi cum lacteſcentibus, pappoſis.

Pag. 126. *Col.II. Pl.I.* Hieracium majus folio Sonchi, vel Hieracium Sonchites potiùs Sonchus dici debet quam Hieracium, nam Sonchus eſt utplurimùm altior, caulis fiſtuloſior folia læviora, flos ejus Hieracii flore citiùs evaneſcit: per terram (aliorum Sonchorum more) ejus radix repit.

Pag. 126. *Col.I. Pl.I,II,III.* Cichoreum ſylveſtre luteum & quæ ſequuntur ſunt Hieracia, quia pappeſcunt.

Pag. 127. Hieracia quatuor priora primæ Col. ſunt verè Sonchi à ſemine & tota facie & modo creſcendi.

Pag. 228. *Col.I. Pl.I & II.* Hieracium ſemine adunco C. Bauh. Hieracium falcatum col. I. pl. II. & Hieracium minimum nonum Cluſ. pag. 127. col. II. pl. VIII. & quæcunque alia reperiuntur Hieracia, quorum flores non abeunt in pappos, ut horum trium ad Cichoreum reducantur quia Cichoreum, à lacteſcentibus pappoſis hac ſola nota differt.

fert. Quod ejus flos non abit in pappos idem esto judicium de Chondrilla verrucaria seu Zazintha pag. 130. col. I. pl. IX. cum non pappescit: non est Chondrilla. Sit cum Clusio Cichoreum verrucarium idem dicendum de Lampsana, quæ est magis affinis Cichoreo, quam Soncho: propter semen Solidum anguloſum, Cichorei semini, simile.

Pag. 130. Chondrilla Verrucaria ad Cichoreum mandetur; propter prædictam rationem & jungatur prædictis Hieraciis. Eaque appellando sic; Cichoreum falcatum, Cichoreum semine adunco; Cichoreum minimum, caule ad florem tubuloso, mutato nomine Hieracii, in Cichoreum ut diximus anté.

Pag. 130. *Col. II. Pl VI.* Chondrilla cœrulea Cyani capitulo: cum hujus semen non abit in pappos non est Chondrilla, ergò ad Cichoreum cum prædictis reducendum judicarem; cum Lacteſcit, nec flos ejus abit in pappos, nec potest esse Cyanus, nec Chondrilla ut clariùs deducemus in Tabulis affinitatis noſtris.

Pag.

*Pag.*130. *Col.II. Pl.III.* Chondrilla rara purpurea cum non Lacteſcit per antedictam rationem, nec pappeſcit, non debet admitti pro Chondrilla. Ad Centaurium capitatum reducerem, & Centaurium capitatum ciliare annuum foliis laciniatis ſerratis appellari velim.

*Pag.*131. *Col.I.Pl.III.* Senecio pinguis incanus; Jacobææ eſt ſpecies, cum Jacobææ more, florem gerit ſtellatum multis petalis latis, diſcum luteum ex multis ſtaminulis conflatum, cingentibus. Nota inſuper hac p.131.malè collocari(ut alibi diximus) Jacobæam & Senecionem cum lacteſcentibus pappoſis, cum ad pappeſcentes non lacteſcentes pertineant: cumque eis collocari debent.

*Pag.*132.*Col.II.Pl.I,&II.* Tanacetum montanum inodorum flore majore & minore. Sunt Bellidis Leucanthemæ ſpecies: nec cum Tanaceto aliquid habent affinitatis niſi in diſpoſitione foliorum: ergò alibi aptiùs diſponi poterant, ſub nomine Bellidis Tanaceti folio: Deſumendo nomen à potiore & nobiliore parte, flore ſcilicet, ſeu modo florendi.

Pag.

Pag. 138. *Col. I.* Ambrosia Campestris repens, Coronopus Ruellii: Malè cum Ambrosia odorata collocatur, cum sit planta Tetrapetala siliculosa, subjungi debet siliculosis Drabæ, Cochleariæ, Thlaspi, Veronicæ, &c.

Pag. 138 *Colum. II. Pl. III.* Botrys Chamædryoïdes malè ad Botryos classem à Bauhino reducitur, cum sit ex flore & semine seminumque capsulis, Chamædrys: ad hujus classem (cum Mattheolo) redigo. Nota quod Botrys Ambrosioïdes appositè quadrat; cum Atriplice, quoad dispositionem florum & seminum, & si Atriplex odora diceretur per me non stabit. Quemadmodum fecimus nos in dispositione Atriplicis in Tabulis cognationis nostris.

Pag. 141. *Col. II. Pl. IV.* Millefolium aquaticum foliis Abrotoni, Ranunculi flore & capitulo C. B. Pin. Ranunculus Tricophyllon aquaticus medio-luteus Col. bis repetitur hic & pag. 180. col. II. pl VI. Ranunculus aquaticus capillaceus C. B. Pin. Ranunculus Tricophyllon aquaticus medio-luteus Col. Etiamsi Bauhinus bis citavit Columnam, debuit in posteriori loco tantùm

tantùm citari. Sunt duæ, Ranunculi ſpecies, omninò diſtinctæ. Ut quilibet obſervare poſſit; cum intuendo figuram Columnæ & Icon. Lob. atque copiosè uterque hic Ranunculus in aquis paludoſis conſpicitur, vegetans.

Pag. 142. Conſolida Regalis & pag. 144, & 145. aquilegia & Nigella debent ad venenatas, & ſiliquiferas amandari ut clariùs demonſtrabimus poſteâ.

Pag. 144. Chelidonium majus cum ſit planta Tetrapetala, ſiliquoſa, ad Tetrapetalas ſiliquoſas, eſſet referendum.

Pag. 146. *Col.* II. *Pl.* III. Cuminum ſylveſtre capitulis globoſis C. B. Pin. non eſt Umbella propriè loquendo cum non habet bina ſemina ſimùl juncta, ſed cum folia Umbellæ in modum diſpoſita habet, ad calcem Umbellarum: cum Pimpinella amandetur.

Pag. 147. *Col.* II. *Pl.* VII. Chaa malè à Caſp. Bauh. in Pin. pro Fœniculi ſpecie exhibetur: cum ejus folia ex Japonia Sinenſiumque, finibus, ad nos delata, aqua macerata & extenſa, latiora ſunt; Bellidis foliis, declarantque hanc, non eſſe Umbellam, ferulaceis Fœniculaceiſve foliis præditam.

Pag.

Pag. 147. Anethum ad umbelliferas, (quarum ſemina ſunt rotunda & foliacea) eſſet referendum: nulla habita ratione foliorum Fœniculo, accedentium.

A pag. 147, *ad pag.* 165. Adeò confuſus eſt ordo Umbellarum: Bauhini nec confuſio tolli poterit quoad Tabulas, cognationis affinitatiſve noſtras, publico, exhibuerimus.

Pag. 148. Pyrethrum flore Bellidis non obſtante cauſtica facultate, ad Corymboſas ſeu Corymbiferas eſt referendum: non inter Umbellas collocandum.

Pag 149. *Col II. Pl. III.* Peucedanum, eſt Umbella, Gramineis foliis, ſemine folioſo ſubrotundo prædita, parùm ergò rationi congruit; Peucedanum minus Caſ. B. Pin. eſſe Peucedanum: cum nec Graminea habet folia, nec ſemina foliacea, ſeu compreſſa, ſed ſtriata, & folia tenuitèr diviſa. Selinum montanum pumilum (cum Cluſio) aptiùs deſignabitur.

Pag. 150. Nota Bauhinum quatuor genera diſtincta Umbellarum, ſub uno & eodem genere (Dauco ſcilicet) comprehendiſſe. Quæ ſuis ſunt reddendæ ordinibus: ut ex doctrina noſtra, alibi tradenda (quin

&

& hic) cuilibet perſpicuum evadet.

Daucus foliis Fœniculi tenuiſſimis, ad Daucum ſeu Carotam vel Paſtinacam tenuifoliam, reduci poteſt, quippe ſemina villoſa, (Dauci vulgaris in modum) producit. Tres autem ſequentes Umbellæ; (ſub Dauci nomine) cum ſint foliis ferulaceis, & ſemine ſtriato minore donatæ; pro Dauco montano, ſeu Saxifraga tenuifolia haberi poſſunt. Quippe quod, Saxifragiæ tertiæ Matth. ſeu Dauci montani (Bauhino ſic dicti) habent, & folia & ſemina ſtriata minora. Sex autem ſequentes (incipiendo à Dauco montano, Apii folio majore) cum ſint ſemine compreſſo foliaceo, ſubrotundo, ut Peucedanum vel Oreoſelinum, ad Umbellas, foliis pluri-fariàm diviſis, ſemineque foliaceo rotundo, ditatas: ſunt religandæ. Ultimus ſeu 13. Daucus pratenſis, Milleſolii paluſtris folio C. B. Pin. Daucus pratenſis Dalechampii hiſt. Lugd. ex radicum & ſeminum ſtriatorum ſtructura, declarat ſeſe eſſe Oenanthen. Unde nobis, potiore jure, Oenanthe Milleſolii foliis (in pratis humidis vegetans, more aliarum ſuæ claſſis) denominabitur. Hæc diximus ut legentibus & profundiùs intu-

entibus

entibus, innueremus, malè distributam, hanc Daucí subalternam sectionem, à Casp. Bauhino : dum 4. distincta genera Umbellarum (ut suprâ clarè docuimus) sub uno & eodem militare vult signo.

Pag. 151. *Col. 1. Pl. II.* Pastinaca tenuifolia sylvestris Umbella majore C. B P. sylvestris Daucoïdes apula Col. Hæc planta ex semine oblongo aspero etiamsi folia gerit Pastinacæ tenuifoliæ: sese declarat potiùs, ad Myrrhidis classem pertinere.

Pag. 151. *Col. 1. Pl. VI.* Pastinaca sylvestris angustifolia, fructu Echinato C. B. Pin. Pastinaca Echinophora apula Col. à semine debet hæc planta Umbellifera ad Crithmum maritimum, spinosum, sibi consimile; ad finem Umbellarum remitti : cum Pastinacæ marinæ seu Chrithmi marini spinosi habeat seminis involucrum, spinosum ; semenque pariter striatum, eódem debet referri.

Pag. 151. *Col. II. Pl. IV.* Gingidium, foliis Pastinacæ latifoliæ C. B. Pin. Gingidium 1. Dod. malè huic generi adaptatur, cum non sit semine striato minore (ut Gingidium) præditum, nec etiam caucalis dici debet.

Ut

Ut plurimi Neotericorum scriptorum dixêre: cum semen non habet Echinatum; caucalidum more. Ergò concludendum cum dispositione seminis foliacei, subrotundi, in margine granulati (Tordylii apuli minimi Col. more) tum positione foliorum Lobatorum, sub Tordylii signo militare debere: & magis appositè Tordilium Syriacum, semine majore granulato; designabitur.

Pag. 152. *Col.II. Pl. III.* Chærophyllo nonnihil similis C. B. Pin. Perchepier Anglorum Lob. Cerefolium est Umbella, foliis plurifariàm divisis, semineque rostrato prædita. Ergò Perchepier Anglorum, Chærophyllo, nihil similis, potiùs quam nonnihil similis Bauhino. Non est Umbella, ergò longè arcenda, sed cum in omnibus & per omnia Alchimillæ, illi conveniunt notæ essentiales: eò mandanda, cum doctissimo Fab. Columnâ.

Pag. 152. *Col. I.* Caucalis major Clus. hist. malè à Bauhino, pro Caucalidis specie habetur, cum ejus semen non sit (Caucalidum ritu) Echinatum: quod, est generica & essentialis Caucalidis nota. Aliò referenda

da nec aptiùs quam ad Tordylium (cum docto Jacobo Plateau, qui ejus ſemen ad cluſium miſit) referri poſſe autumno.

Pag. 152. *Col. II. Pl. XII.* Caucalis folio Peucedani C. B. Pin. Caucalis Anglica Lob. cum hæc Umbella ſit ſemine minore ſtriato donata. Dauci montani aut Saxifragiæ 3. Matth. in modum : ad ejuſdem ſpeciem amandari debet: neutiquàm ad Caucalidem, cujus non fert Symbolum.

Pag. 153. *Col. II. Pl. VI.* Apium montanum folio ampliori C. B. Pin. & montanum nigrum C. B. in Pin. Oreoſelinum Pariſienſium Lugd. & Apium ſylveſtre lacteo ſucco turgens, & Apium peregrinum Cicutæ folio C. B. Pin. omnes hæ quatuor Apii ſpecies, neutiquàm ſunt genuina Apia, quippè Apium eſt planta umbellifera, ſemine ſtriato minore, ornata ; at priores ſunt ſemine foliaceo ſubrotundo affectæ. Ergò aliò tranſmittendæ ; ut in Tabulis noſtris cognationis, præſtabimus. Nota inſuper ibidèm Bauhinum, duas diſtinctas conſtituere ſpecies : Oreoſelinum montanum folio ampliori, & Pariſienſium nigrum ; quæ, una & eadem eſt planta ; diverſa, tantùm natalibus.

Pag. 156. Poſt Imperatoriam admitti debet Imperatoria nigra, Tab. pagin. 186. col. I. pl.V. contenta, Aſtrantia nigra Lob. Icon.& Obſ.Elleborus niger Saniculæ folio, major & minor C. B. Pin. malè hæc planta in Ellebori claſſe collocatur, cum Umbellæ, omnes habeat conditiones requiſitas, flores in Umbella, Pentapetalos, quorum ſingulis evaneſcentibus, ſuccedunt, bina ſemina oblonga aſpera, quod clariùs intuentibus apparebit, quoniam è ſummo faſtigio Caulium exeunt; foliola ſubviridia, latiuſcula, ſtellatim cingentia baſin, radiorum ſemiuncialium, ſuſtinentium floſculos minimos, pentapetalos: Perſicæ florum coloris. Aſtrantiæ nomen ſortita eſt hæc planta, quoniam folia in 5. Lobos obſcuriùs virentes (Saniculæ inſtar) diviſa gerit. Saniculæ illi adaptarunt nomen ſed Imperatoria nigra, Aſtrantia dicta, Saniculæ folio, potiore jure denominabitur.

Pag. 157. *Col. I. Pl. II.* Libanotis major & altera ſeu vulgatior, cum utriuſque ſemina ex pluribus alis foliaceis, rotæ molendinæ fluviatilis inſtar; conſtent: eaſdem declarant, ex Laſerpitii familia oriundas; ſeu genus

genus ſuum deſumere, quippe eadem, cum illis (quoad formam & figuram) ſunt ſemina.

Pag. 158. *Col. II. Pl. VI.* Panax Aſclepium ſemine folioſo C. B. Pin. Panax Aſclepium Apulum Col. cum ſemen habeat rotatìm, ſeu circularitèr ala foliacea cinctum, Thapſiæ more, ad Thapſiam redigatur: non autem ad Libanotidem, cujus ſemen, nulla ala membranacea pellucida cingitur.

Pag. 160. *Col. I. Pl. VI.* Pimpinella ſanguiſorba major, minor, hirſuta & minor lævis, & omnes quot fuerint ſanguiſorbæ Pimpinellæve, quum non ſunt Umbellæ (propriè loquendo) non debuere locari inter Umbellas (propter foliorum cum Pimpinella Saxifraga, ſimilitudinem) ſed ad calcem Umbellarum, cum aliis ejuſdem Farinæ, amandari: propter ſimilem foliorum, Lobatorum diſpoſitionem.

Pag. 161. *Col. II. Pl. VII.* Cicutaria paluſtris tenuifolia non habet bina ſemina, ſimùl juncta aliarum Umbellarum more, ergò non eſt Umbella propiè dicta.

Pag. 161. *Col. I.* Seſeli Creticum majus; Creticum minus; Creticum fructu majore;

Creticum minimum: Cum Seſelios, nota eſſentialis & Generica, ſit producere ſemen ſtriatum; atqui hæ quatuor plantæ umbelliferæ, ſemina producunt foliacea, ſeu membranacea, rotunda; ergò debent collocari cum congeneribus ſuis: Paſtinaca latifolia, Sphondylio, &c. ſub Tordylii nomine Generico.

Pag. 162. *Col. I. Pl. XI.* Seſeli paluſtre lacteſcens, propter præcedentem rationem, à Seſelios familia averruncandam, & ad Umbellas, ſemine foliaceo ſubrotundo foliis plurifariàm diviſis (cum Oreoſelino & Thyſſelino) revocandum eſſe judico.

Pag. 162. Oenanthe Apii folio Caſp. B. Pin. anguſtifolia Lob. nota quod C. Bauhinus pro Synonimo, attulit Cyminum bulboſum Plinii Col. quod eſt bulbocaſtanum aut ſaltem ejus ſpecies, nihil habens affinitatis cum Oenanthe, ut ait doctiſſimus Columna.

Pag. 163. *Col. I. Pl. V.* Oenanthe Hederæ folio C. B. Pin. Oenanthe Myconi hiſt. Lugd. non eſt Umbella, cum flores & ſemina Ranunculi producat. Optimè Ranunculus Thalictri folio, Aſphodeli radice, cum Parkinſono nominabitur. *Pag.*

Pag. 163. *Col. II. Pl. VII.* Filipendula vulgaris, cum non sit Umbella, sed tantum à foliorum cum Umbellis similitudine; ad finem Umbellarum (tanquam affinis) debet collocari. Ibidèm Pedicularis seu Alectorolophos, cum sit Galeata, ad finem Galeatarum, verticillatarum, collocanda. Ibidèm Barba Capræ, cum sit tantum Umbellis affinis, à dispositione foliorum, cum Thalictro, Filipendula, Pimpinella, &c. In fine Umbellarum addenda: Ergò inconsideratè, laboriosissimus Bauhinus, Filipendulam pedicularem & Barbam Capræ, interjecit inter Oenanthen & Valerianam, propriè dictas Umbellas: cum nil habent hæ plantæ, commune, cum propriè dictis Umbellis, nisi folia, quæ, non sunt primò & principalitèr, partes essentiales, nisi per accidens tantùm; inservientes fructificationi. Nota insuper Plant. IX. & X. ejusdem Columnæ ad caput sequens, debere referri.

Pag. 164. *Col. II. Pl. VII.* Valeriana Græca; propter antedictam rationem, ab ipso doctissimo & laboriosissimo Casp. Bauhino, illic observatam: est aliò remittenda. Observa hanc Valerianam, nil habere

cum Valeriana propriè dicta, commune, præter folia; ergò ad finem itidèm Umbellarum, cum cœteris (propter conformitatem foliorum)referri debet.

Pag. 165. *Col. I,& II.* Valerionellæ omnes, non ſunt Umbellæ propriè loquendo, quia non habent bina ſemina (aliarum Umbellarum propriè ſic dictarum more) ſimùl juncta.

Pag. 168. *Col. II. Pl. I.* Solanifolia Circœa dicta,major & minor: quâ ſimilitudine Solanis annumerantur, non poſſum aſſequi. Semen fert verrucoſum; ergò ad Agrimoniam,Saniculam vulgarem ibidèm: (in locis Udis, ſylvoſis & umbroſis) habitantem, referatur. Ibidèm. Qua ratione mirabilia Peruviana, ad Solanum reduci poſſunt; non ſatis aſſequor. Eſt planta certè Heteroclita: quemadmodùm plurimæ aliæ exoticæ. Solano etenìm ſatis malè cohæret. Nos exactiùs exhibebimus (in Tabulis noſtris cognationis, univerſalis noſtræ methodi) hujus diſpoſitionem.

Pag. 172. Hypecoum malè inter Papaver & Argemonen collocatur: exilis cum ſit planta, foliis,Fumariæ adinſtàr, diſſectis;

ſiliqua

siliquas edit longas articulatas, est Heteroclita planta hæc.

Pag. 176. *Col. II. Pl. V.* Anemone nemorosa, flore majore Casp. Bauh. Pin. à quinta Plant. secundæ Columnæ, pag. 176. ad Pl. X. secundæ Columnæ pag. 177. Ranunculi omnes sunt. Cum, omnium flores abeunt in semina aculeata racematìm compacta, sive orbicularitèr sive spicatìm. Anemones propriæ dictæ, flos abit in pappos, ventoque aufertur. Ergò omnes contentæ à V. Pl Col. II. pag. 176. ad X. Pl. Col. II. pag. 177. sub Anemone, perperàm disponuntur, debent conjungi cum Ranunculo nemoroso luteo, pag. 178. Col. I.

Pag. 180. *Col. II. Plant. VI.* Ranunculus aquaticus medioluteus Col. bis repetitur hic & suprâ pag. 141. vide Millefolium aquaticum foliis Abrotani, Ranunculi flore & capitulo.

Pag. 180. *Col. I. Plant. VI.* Ranunculus aquaticus Cotyledonis folio, Casp. B. Pin. Cotyledon aquatica Dod. cum semen non gerat Ranunculi, non est reputandus pro Ranunculo, ideò aliò remittendus; nec aptiùs quam ad aquaticas Heteroclitas plantas referri potest.

ROYAL MEDICAL SOCIETY OF LONDON ESTABLISHED

Pag. 179. *Colum.II. Pl. VI.* Ranunculus Aconiti folio, flore albo multiplici C. B. Pin. debet transferri ad Columnam primam pag. 182. & jungi Plantæ VII. nempé. Ranunculo montano Aconiti folio, albo flore majore C. B. Pin.

Pag. 182. *Colum. II. Pl. IX.* Ranunculus montanus Aconiti folio, flore globoso C. B. Pin. est potiùs Aconiti species, cum siliculas seu Thecas seminales, membranaceas, Aconiti ritu habet, semenque inibi contentum. Nec semina racematìm in capitulum pungens compacta: ut Ranunculus gerit. Quare ad Aconiti classem retulimus appellando Aconitum, Ranunculoïdes secundum, quemadmodùm Aconitum hyemale, à flore Ranunculi, Aconitum Ranunculoïdes primum seu hyemale; Thecas seminales. Utrumque Aconiti more habet.

Pag. 183. *Colum. II. Pl. XVI.* Aconitum racemosum, Christophoriana, dictum. Malè inter Aconita recensetur, cum nec florem Cucullatum, nec Thecas membranaceas (aliorum Aconitorum more) gerit: sed cum sit planta baccifera; ad Solani potiùs genus referenda.

Pag.

Pag. 184. *Col. I. Pl. I.* Aconitum Pardaleanches ſeu Thora major & minor, ſunt Ranunculi ſpecies; ergò ad Ranunculi genus, montani pag. 182. pertinent, atque ibi locari debent.

Pag. 184. Doronicum cum ſit planta ſtellata, pappeſcens amandetur ad conſortes, Aſterem, Conyzam, Helenium, Tripolium, paginis 265, & 266.

Pag. 286. *Col. I. Pl. V.* Helleborus niger Saniculæ folio major & minor, debent amandari ad Imperatoriam, inter Umbellas, cujus ſunt ſpecies: vide pag. 156. ubi prolixiùs illic egimus.

Pag. 186. *Col. I. Pl. IX.* Helleborus niger tenuifolius Buphthalmi flore, ſub eodem genere militat cum Adonide; cujus eſt ſpecies, utraque, Ranunculorum claſſi accedere debet.

Pag. 197. Tuſſilago Petaſites & Cacalia, ad papeſcentes amandentur, ſcilicèt Eupatorium, virgam auream, Stœchadem Citrinam, Serratulam, 263. pag.

Pag. 201. *Col. II. Pl. I.* Leucoium Alyſſoïdes Clypeatum majus C. B. Pin. Alyſſum Dioſcoridis Dod. debet cum Lunaria Græca

ea collocari: item Leucoium incanum siliquis rotundis C. B. Pin. Eruca peregrina Clus. debent omnes hæ Leucoii species platolobi, subjungi Leucoiis siliquosis.

Pag. 200, 201, 202. Malè collocantur Leucoium siliquosum & viola matronalis híc. Cùm ad siliquosas reliquas tetrapetalas debent transferri. Videlicèt Sinapi, Erucam, Irionem, sive Erysimum, &c. p. 99.

Pag. 210. *Col. I. Pl. VII.* Caryophyllus pratensis flore laciniato simplici, seu flos Cuculi C.B. Pin. malè inter Caryophyllos collocatur, à Bauhino, cum omninò sit Lychnis, à flore, semine & capsula Pyriformi.

Pag. 210. *Col. II.* Caryophyllus holostius ejusque sequaces, usque ad Caryophyllum montanum. Alsines & Lychnidis Seriei, debent adjungi: Quum flores gerant quinis petalis, ad medium bifidis, constantes: capsulasque Pyriformes. Non autem Caryophylli in modum Cylindriacas.

Pag. 211. *Col. I. Pl. I.* Linaria scoparia est planta sui generis: nec præter folia, aliquam affinitatis notam habet cum Linaria. Ibidèm, idem dicendum de Osyride frutescente Baccifera, C. B. Pin. seu Casia Poëtica Monspeliensium Lob.

Pag.

Pag. 213. *Col II. Pl. XV.* Linaria montana floſculis albicantibus C. B. Pin. Anonymos tenuifolia Cluſ. per eandem rationem antedictam, non eſt Linaria.

Pag. 213. *Col. I. Pl. VI, & VII.* Linaria folioſo capitulo luteo, major & minor: nil niſi folia Linariæ gerunt. Florem virgæ aureæ inſtàr, ex plurimis ſtaminulis, luteis conflatum, habent; qui poſtea abit in pappos: ergò jure merito, virga aurea folliis Linariæ appellabitur. Linariæ nota eſſentialis, eſt flos Calcari donatus, rictum compreſſus, habet flos. Semen, binis capſulis, Apum alvearia referentibus incluſum habet Linaria; ut in deſcriptionibus obſervavimus; & ut prolixiùs trademus, quando notas eſſentiales & genericas unicuique generi adaptabimus, in Tabulis noſtris cognationis. Linaria autem ſcoparia: Oſyris baccifera frutescens: Linaria montana ſeu Anonymos Cluſ. Linaria aurea Trag. cum nihil horum poſſident, alibi ſunt collocandæ.

Pag. 214. *Col. II. Pl. VI.* Linum minimum ſtellatum non eſt Linum: à nota eſſentiali Lino convenienti, cum nec florem, nec ſemen Lini habet. Ibidèm Col. I. Pl. IX.

Linum

Linum ſylveſtre luteum foliis ſubrotundis C. B. Pin. Campanula lutea linifolia Lob. bis repetitur, hic & ſuprâ pag. 93. Colum. I. Pl. XIII. nimirùm Rapunculus nemoroſus, anguſtifolius parvo flore C. B. Pin. Campanula lutea linifolia Lob. Ger. vide ſuprâ pag. 93.

Pag. 215. *Col. II. Pl. V.* Polygala repens nivea C. B. Pin. repens Lob. non debet flori Ambervali jungi ſed Polygono (Herniaria) dicto. Ibidèm Onobrychis Arvenſis ſeu Campanula Arvenſis erecta C. B. Pin. cum ſit Campanula (à flore) plantaque lacteſcens, florem, capſulam ſeminalem, triquetram, & ſemina pellucida (ut Campanula) gerit: Campanulis debuiſſet jungi.

Pag. 216. Stœchas Arrabica, Lavendula & pag. 217. Roſmarinum, malè claudunt ſectionem, cum ſequentem, verticillatarum galeatarum, ſectionem debeant incipere; quippè verticillatæ galeatæ, verticillatis galeatis (in eâdem ſectione) addendæ.

Pag. 218. *Col. II. Pl. XIII.* Hyſſopifolia C. B. Pin. cum nec ſit planta galeata nec galeatæ aut verticillatæ fert capſulam, pa-

rùm

rùm aut nihil cum Hyſſopo habet affinitatis aliò ergò releganda: Fortè ad Euphraſiam.

Pag. 221. *Col.* 1, & 11. *Pl.* 1, & 11. Ageratum foliis ſerratis & non ſerratis C. B. P. malè inter galeatas & verticillatas plantas collocantur, cum ſint Corymbiferæ .ſ. Corymboſæ. Adde quod odor & ſapor, non conſiderantur in diſponendis plantis. Ibidèm Ageratum ſerratum Alpinum C. B. Pin. Ageratum purpureum Lugd. malè etiam hic diſponitur: cum non ſit Galeata planta, nec capſulas, Galeatæ in modum: verticillatìm gerit. Aliò etiam releganda: eôdem cum Hyſſopifolia ad finem Euphraſiæ amandetur. Capſulas fert longas innumeris ſeminibus minutulis, ſcatentes ut Euphraſia, ſed nec hæc, nec Hyſſopifolia florem habent Galeatum, ſed quinis petalis diſtinctis conflatum.

Pag. 222. *Col.* 1. *Pl.* V. Dictamnus albus vulgo, ſeu Fraxinella C. B. Pin. Fraxinella Dod. cum nil habeat affinitatis, nec in foliis nec in floribus, multò minùs in capſulis ſeminalibus, cum verticillatis Galeatis, aliò eſt remittenda, nec aptiùs (mea opinione) quam ad ſectionem venenatarum, ſiliquis membra-

membranaceis præditarum ; Aconitum (videlicèt) Delphinium, Staphydem-agriam, &c. (id genus) aliás.

Pag. 225. *Col. I. Pl. II.* Clinopodium arvenſe Ocymi facie C. B. Pin. planta eſt verticillata ; verticillis per Caules rariùs diſpoſitis, donata, per intervalla : at majus .ſ. vulgare verticillos denſiùs diſpoſitos, per intervalla habet : Ergò ad Ocymi finem referri poteſt : Eſt enim Ocymi ſylveſtris ſpecies. Origanum Canadenſe fiſtuloſum Corn. in ejus locum ſufficio : tanquam plantam (inter odoriferas) magìs illi convenientem, eandem appellando, Clynopodium Canadenſe fiſtuloſum, & non Origanum, cum quo nil habet affine.

Pag. 225. *Col. II. Pl. V.* Clinopodium Alpinum hirſutum C. B. Pin. Clinopodium Alpinum Ponæ bis repetitur hìc, & p. 247. Col. II. Pl. VI. Teucrium Alpinum coma purpuro-cœrulea C. B. Pin. Clinopodium Alpinum Ponæ.

Pag. 226. *Col. I. Pl. II.* Mentha hortenſis Corymbifera C. B. Pin. coſtus hortorum Lob. malè à Bauhino ob odorem, Menthæ Seriei adjungitur, cum jure merito ad Corymboſas,

rymbosas, sive Corymbiferas, videlicèt Tanacetum, Ageratum Millefolium, &c. (id genus) alias plantas Corymbosas, debet amandari.

Pag. 229. *Col.* I. *Pl.* VI. Calamintha arvensis verticillata C. B. Pin. malè inter Calaminthæ species recensetur, quippè Calaminthæ verticilli, rariùs disponuntur, hujus verticilli, densiùs, per intervalla dispositi sunt. Ideò qui Mentham (Sisymbrium) hortensem & sylvestrem, cum Mentha pulegii odore, & Mentha aquatica exigua & pulegio sylvestri Lugd. conjunxerit: assignando toti generi nomen Menthæ densiùs verticillatæ, meliùs egerit.

Pag. 231. *Col.* I. *Pl.* V, *&* VI. Lamium maculatum C. B. Pin. & Lamium linea alba notatum C. B. Pin. pro una, duæ in medium adferuntur plantæ, cumque cuilibet propiùs consideranti, una & eadem apparebit planta. Ineunte enim hyeme, albis maculis, folia consperguntur. Exeunte autem hyeme, linea alba, per folii Nervum medium discurrente, notantur: æstate una & altera, spoliata, folia habet viridia. Ibidèm Lamium foliis Caulium ambientibus

majus

majus & minus, pro una & eadem habeantur planta, cum ſpecifica, qua diſtinguantur, nulla aſſignatur nota.

Pag. 231. *Col.* II. *Pl.* XI. Lamium peregrinum .ſ. Scutellaria C. B. Pin. Aſtragaloïdes Cornuti. A forma capſulæ ſeminalis, apprimè referente imaginem aut formam tali vulgaris, qui mulierum calceis ſubjicitur: quæ exſiccata & apperta, Scutellam exprimit, unde ei nomen novum genus conſtituens Scutellaria; dictum, ad finem Galeatarum & verticillatarum, rejiciendum: qui conſtruxerit, gratum opus fuerit; quinque ſunt plantæ quæ ſub novo hoc genere militare poſſunt, ſub nomine Scutellariæ, gratiola latifolia Ger. Lyſimachia Galericulata Lob. Scordium Berardi ſeu Scorodotis Plinii Cluſ. Scutellaria Americana Malvæ folio. Et Lamium peregrinum ſeu Scutellaria C. B. Prodr. & ſi quæ aliæ verticillatæ Galeatæ hujus Farinæ detegantur, huc paritèr revocandæ ſunt.

Pag. 232. *Col* II *Pl.* I. Urtica aculeata foliis ſerratis, & altera foliis non ſerratis, malè Urticæ nominantur, cum ſint verticillatæ, Galeatæ propriè loquendo, ergò

ad

ad Sideritidis classem jure pertinent. Ibidèm Urtica urens maxima, minor, & pilulas ferens; cum non sint galeatæ, sed verticillatæ, aliquomodò racemi, verticillatìm disponuntur, ergò ad finem galeatarum, verticillatarum remittantur.

Pag. 232. Alyssum verticillatum foliis profundè incisis, malè disjungitur à Marrubio; cum sit omnibus suis partibus, verum & genuinum Marrubium.

Pag. 233. Euphrasia ejusque species, cum sint galeatæ, sed non verticillatæ propriè loquendo, ad finem verticillatarum & galeatarum rejici debent: Ut clariùs demonstrabimus in Tabulis nostris cognationis.

Pag. 234. Nota Bauhinum inadvertentèr, confundere Euphrasiam majorem sylvestrem purpuream & latifoliam, cum sunt duæ distinctæ plantæ; ut apparet ex duabus diversis Iconibus Columnæ: Ut cuilibet intuenti Fab. Columnam; evidentèr apparet.

Ibid. Melampyrum ejusq; species, cum sint galeatæ plantæ, sed non verticillatæ propriè dictæ; ad calcem galeatarum fuerunt re-

jiciendæ; & non confusè (cum Bauhino) in medio sectionis collocandæ.

*Pag.*234. *Col.II. Pl.VI.* Melampyrum luteum minimum C.B P. Perpusillum luteum Lob. Adv. quam inconsideratè Bauhinus, Sequendo Lobellium, hanc plantam(quam depictam in adversariis exhibuit Lobellius) denominat Melampyrum, legentium sequentia esto judicium. Melampyrum est planta galeata tritici referens grana. Hæc autem tenella planta,Ranunculi est species, à gustu, sapore, flore, quinis petalis, plurima staminula cingentibus, conflato. Cui deciduo, succedit spica coniformis, falcata gerens semina: Folia fert ferulacea. Nec apparentèr Lobellius, qui primus erravit, omnesque alios authores errare fecit: florentem hanc vidit plantam, multo minùs bene observavit spicam, (etiamsi pictam in adversariis exhibet) quæ neutiquàm refert Melampyri spicam; hactenùs de hac planta egimus, inter non scriptas à nobis exhibitas.

Pag. 235. Serratula malè disponitur hic in medio galeatarum,verticillatarum: cum ejus flos abit in pappos, plurimis staminulis fistulosis,

fistulosis, virgæ aureæ modo, constat. Ergò ad virgam auream, ejusque classem transponi ibique collocari debet. Ibidèm Scrophularia, cum nec sit galeata nec verticillata planta, sed bicapsularis; plurima minuta in se continens semina, ad classem bicapsularium, releganda floret : Nempè digitalem, verbascum, Blattariam, &c. (id genus) aliás.

Pag. 240. *Col.II. Pl. I,II,III.* Verbascum latis Salviæ foliis C. B. Pin. & angustis Salviæ foliis C. B. Pin. & acuto Salviæ folio C. B. Pin. perperàm hæ plantæ à Bauhino & authoribus aliis, ad Verbascum reducuntur, ab incana lanugine foliorum, Verbasci foliis quodammodo accedentium ; cum Verbasci omnis, flos est integer, in margine quinquefariàm divisus, cui deciduo succedit bicapsularis Theca, seminalis. Multa hinc indè continens semina minutula, ut videre licet in digitali, Blattaria, Scrophularia, Gratiola, Hyperico &, id genus, aliis ejusdem classis. Sed more nostro denominatio desumi debet à nobiliore parte, flore seu florendi modo: Cum galeatum & verticillatìm dispositum fert florem. Adinstàr Salviæ,

capsulasque seminales gerit Salviæ, quatuor semina oblonga, angulosa. Verticillatarum omnium ferè ritu, Salvia fatua: cuilibet hæc nostra dicta consideranti apparet. Et ideò Salvia sylvestris Verbasci latis foliis; & Salvia sylvestris Verbasci angustis foliis; & Salvia sylvestris Verbasci acuto folio; Imposterùm à nobis designantur.

Nota quod Verbascum & Blattaria, pag. 239, & 240. malè inter verticillatas disponuntur, cum ad capsulares bivalves debeant amandari; quod præstabimus in generali nostrâ historia plantarum, per Tabulas cognationis disponendarum.

Pag. 241. Æthiopis, (sine ratione) disjungitur ab Horminis: Cum omnes, Hormini habeat partes; Horminum Æthiopicum incanum appelletur.

Pag. 245, & 246. Nota Lysimachiæ caput, seu distributionem esse confusissimam apud Bauhinum in Pinace. Primò, occurrit Lysimachia lutea major; quæ florem quinis aut Senis petalis constantem fert; cui flaccido succedit, capsula rotunda; Pisi medii magnitudine in qua continentur, minuta plurima rotunda semina. Ephemeron,

flore

flore & ſemine & capſula ſeminali, valdè huic Lyſimachiæ accedit. Secundò, occurrit Lyſimachia Virginiana, florem magnum, Unifolium ſeu Monopetalum convolvulorum more; cui deciduo, ſuccedunt Cornicula coniformia, maturo ſemine, in plurimas ſeſe findunt partes, & copiosè ſemina emittunt: ex loculamentis, adinſtàr Papaverum Corniculatorum. Tertio loco, occurrunt Lyſimachiæ propriè dictæ ſiliquoſæ, quarum flores exeunt in ſummitate filiquæ; quaternis, quinis petalis conſtantes; quibus Marceſcentibus, ſuccedunt ſiliquæ biunciales triunciales, ſeſe in quinque diſtincta loculamenta, apperientes, & ſemina plurima pappoſa (ut Salix) fundunt. Quarto loco, ſeſe offert nobis conſideranda, Lyſimachia ſpicata purpurea, florem fert galeatum rubrum; cui ſuccedit capſula ſeminalis (Euphraſiæ inſtar) continens plurima ſemina minuta; atque eô nomine haud abs re, eſſe judicarem; eandem Euphraſiam perennem aquaticam, flore purpureo, denominari. Quinto loco, nobis conſideranda exhibetur, Lyſimachia ſpicata cœrulea, quæ aliarum Veronicarum

more, florem fert tetrapetalum: cui succedit silicula, bicapsularis, Bursæ pastoris seu Veronicæ similis; & est Veronica spicata cœrulea recta. Sextò, Lysimachia cœrulea galericulata vel Gratiola cœrulea Casp. B. Pin. Lysimachia galericulata Lob. hæc est galeata verticillata, scutellata, per consequens ad novum genus verticillatarum referri debet. Et scutellaria paluſtris cœrulea nobis dicenda: ita hæc diviso Lysimachiæ ad sex diversas classes distinctas, pertinet; variè à nobis per Tabulas cognationis, distribuenda.

Pag. 247. *Col. II. Pl. V.* Clinopodium Alpinum Ponæ bis repetitur, hìc & pag. 225. Col. II. Pl. V. vide suprâ paginam 225.

Pag. 247, 248, 249. Teucrium, Scordium, Chamædrys, Chamæpitys malè hic cum Lysimachia veronica, inter veronicam & Alsinen, collocantur; cum inter galeatas, verticillatas, propriè dictas: essent collocandæ.

Pag. 248. *Col. I. Pl. V.* Chamædrys Alpina Cisti flore C. B. Pin. Camædrys montana fruteſcens durior Ad. Lob. cum hæc planta nec florem galeatum, nec capsulam semina-

lem

lem verticillatìm diſpoſitam habeat; Chamædrys non poteſt dici: cum autem florem gerit, ſex petalis albis conflatum, cingentibus diſcum medium, cui evaneſcenti ſuccedunt globuli, hirſuti, Caryophyllatæ more, ergò appoſitè ſatis appellabitur Caryophyllata; Chamædryos, folio duriori.

Pag. 248. *Col.* II. *Pl.* VIII. Chamædrys unicaulis ſpicata Bauh. in Pin. Trixago Apula unicaulis Col. hæc florem gerit galeatum luteum, ſed capſulam habet & ſemina inibi contenta, Euphraſiæ: non eſt Chamædrys, quia non habet capſulas in margine quinquefariàm diviſas, continentes ſingulas, quaterna ſemina. Appelletur ergò Euphraſia Apula unicaulis magìs aptè. Ibidèm Pl. XII. Chamædrys ſpuria major latifolia C. B. Pin. Veronica maxima Lugd. uſque ad Plantam XVIII. omnes hæ ad Veronicæ claſſem debent amandari; cum omnes, Veronicæ gerunt teſſeram, flores (ſcilicet) tetrapetalos, ſiliculas bicapſulares, Veronicæ more. Nec Chamædryos ſpecies, accenſeri poſſint: quippè nec galeatæ nec verticillatæ ſint.

Pag. 250. *Col.* I. *Pl.* I, II, III, & IV. Alsine Hederulæ folio Casp. B. Pin. Veronicæ folio floſculis Cauliculis adhærentibus C. B. Pin. Chamædrifolia floſculis oblongis pediculis inſidentibus; & Alsine Triphyllos cœrulea. Hæ omnes quatuor, notam eſſentialem Veronicæ habent; nempè flores tetrapetalos, & ſiliculas bicapſulares, ſepto medio membranaceo, duplicem ſeriem ſeminum diſterminante: ergò ſunt veræ & genuinæ Veronicæ annuæ. Sic nobis denominanda, Veronica Hederulæ folio; Veronica floſculis adhærentibus, cauliculis; Veronica Chamædrifolia floſculis pediculis longis inſidentibus; & Veronica Triphyllos cœrulea; ex dictis patet, omnes eſſe veras & genuinas Veronicas annuas; non autem ad Alsines, genus pertinent: Ut clarius alibi docebimus.

Pag. 150. *Col.* II. *Pl.* VI. Alsine ſcandens baccifera C. B. Pin. Cacubalus Plinii, eſt Alsine Heteroclita: Folia & flores habet Alsines, fructum ſeu baccas, Solani.

Pag. 151. *Col.* I. *Pl.* XVI. Alsine affinis Androſace dicta major C. B. Pin. Androſace

ſace altera Matth. nec florem nec capſulam ſeminalem, fert Alſines; nota eſſentialis Alſines eſt, habere florem quinis petalis conflatum; quorum ſingula ſunt bifida, Lychnidis more; cui evaneſcenti, ſuccedit capſula, Pyriformis continens plurima ſemina rotunda: Quod non conſpicere licet in hac planta, magis accedit ad auriculam Urſi. Multas alias plantas puſillas adjunxit Bauh. hìc quæ propter exilitatem (quamvis ſunt Heteroclitæ) aliò impræſentiarùm non remittemus. Ibidèm Col. II. Pl. VI. Alſine litoralis Portulacæ foliis C. B. Pin. Alſines Pelagicum genus Cluſ. nota quod ſit Rubiæ genus, ex ſemine.

Pag. 152. *Col. I. Pl. I.* Anagallis aquatica major, folio ſubrotundo Caſp. B. Pin. aquatica minor folio ſubrotundo; aquatica major folio oblongo; aquatica minor folio oblongo; aquatica folio rotundo non crenato; & aquatica anguſtifolia: Omnes hæ ſex plantæ, cum florem gerant tetrapetalum, ſiliculaſque bicapſulares, Veronicæ (procul dubio) ſunt veræ & genuinæ ſpecies. Ideo Veronicæ appellentur aquaticæ; ſicque denominentur. Veronica aquatica major

major folio ſubrotundo; Veronica aquatica minor folio ſubrotundo; aquatica major folio oblongo; aquatica minor folio oblongo; aquatica folio rotundo non crenato; & Veronica aquatica anguſtifolia: & ſic tolletur gravis lapſus; Bauhini & cœterorum authorum. Quam habent affinitatem cum Anagallide videant oculati Botanici, & diligentèr examinent mecum.

Pag. 252, *&* *pag.* 253. Elatine ejuſque ſpecies: quum calcari & rictu hiante; & capſula ſeminali, duplici loculamento diſtincta, præditæ ſint. Quæ eſt nota generica & eſſentialis Linariæ; Linariæ ſeſe veras & genuinas arguunt eſſe ſpecies; quod benè innotuit doctiſſimo Fabio Columnæ, dum Elatinen, Linariam Hederulæ folio appellat. Ibidèm pag. 253. Col. II. Pl. II. Elatine folio acuminato, in baſi auriculato C. B. Pin. Linaria Hederulæ folio Col. bis repetitur, hìc & pag. 306. Linaria Hederulæ folio Col. Cymbalaria C. B. Pin. Nota inſuper Cymbalariam eſſe veram & genuinam Linariæ ſpeciem. Quia Linariæ nota eſſentialis & generica, omninò ei quadrat.

Pag.

Pag. 254. *Col. II. Pl. VII.* Echium Alpinum luteum C. B. Pin. Trachelium θυρσοειδὲς Cluſ. & Campanula foliis Echii C. B. Pin. Trachelium θυρσοειδὲς Cluſ. ipſi Cam. Pag. 94. Col. II. Pl. X. bis repetitur. Campanula eſt: (quippè lacteſcit, ſemenque rufum, pellucidum habet) non vero Echium.

Pag. 257. *Col. II. Pl. X.* Cynogloſſum minus C. B. Pin. Cynogloſſa minor montana ſerotina altera Plinii Col. & pag. eâdem Columna, eâdem Pl. VII. Cynogloſſum medium C. B. Pin. Cynogloſſa minor montana ſerotina altera Plinii Col. eâdem planta, bis repetitur.

Pag. 258. *Col. I.* Lithoſpermum arundinaceum forte Dioſcoridis & Plinii Lachryma Jobi Dod. frumentum eſt. Proindè ad cœrealia amandetur; quippe cum Lithoſpermo ordinario nil habet affine.

Ibidèm Pag. 258. *Col. II. Pl. VII.* Lithoſpermum arvenſe radice rubra C. B. Pin. Anchuſa degener facie Milii Solis Lob. ad Anchuſam referatur, cum nec florem nec ſemen fert Lithoſpermi.

Pag. 259. *Col. I. Pl. I.* Lithoſpermum Linariæ folio, Germanicum C. B. Pin. Linaria

naria altera botryoïdes montana Col. planta eſt Heteroclita: nil cum Lithoſpermo vulgari habet commune: niſi ſeminis duritiem. Eſtque ſui generis planta. Ibidem Col. II. Pl. V. Symphytum minus Borraginis facie C. B. Pin. Borrago minima herbariorum Lugd. malè à Bauhino inter Symphyta collocatur, cum ex flore, tum ex ſemine, ſit vera Borraginis ſpecies.

Pag. 260. Conſolida media ſive Bugula & conſolida minor ſive Brunella, malè diſjunguntur à verè galeatis & verticillatis, quum iis, nota eſſentialis & generica, galeatarum & verticillatarum, perfectè convenit. Ergo ad Sectionem quartam Bauhini pag. 217. cum cœteris ſuæ conditionis amandentur.

Pag. 262. Bellis malè hic collocatur: quare ad Corymboſas referatur leucanthemas; Chamæmelum, Cotulam, &c.

Ibidem. Piloſella ejuſque ſpecies malè hic collocantur, cum ſint plantæ lacteſcentes, earumque flores abeunt in pappos, cum Piloſella ſit omnibus notis parvum Hieracium: ad finem Hieracii pag. 129. relegenda. Nec cum Bellide aut Gnaphalio, quid habet affinitatis.

Pag.

Pag. 266. Asteris omnis, flos debet abire in pappos; non minùs quam Conyzæ. Hæc est nota essentialis Asteribus, & cœteris stellatis pappescentibus, communis. Ast. quatuor à me observantur Asteres, recitati à Bauhino in Pinace, quorum, flores non abeunt in pappos: suntque hi; Aster foliis ad florem rigidis: Aster Atticus foliis circa florem mollibus C. B. P. seu Cernuus Col. Aster luteus folio glabro & crenato C. B.P. Atticus Dod. & Conyzoïdes Monspelliensium. Ergò eô ipso nomine quod, semina, solida gerant, à papposis, per consequens ab Asteribus arceantur: prædictæ quatuor plantæ: & ad Corymbiferas relegandæ.

Pag. 272. *Col. II. Pl. II, & III.* Jacea Oleæ folio, flore majore & minore, & Oleæ folio capitulis compactis; cum Jaceæ flos, abit in pappos; harum autem flores non abeunt in pappos, sed semina producunt solida, angulosa longa: Ergò non sunt verè Jaceæ, aliò relegentur. Nec aptiùs (meâ opinione) quàm ad Corymbiferas seu Corymbosas ïanthemas; referri posse ipsas Autumno. Ibidèm Col. II. Pl. V. Jaceæ, Oleæ folio affinis C. B. Pin. Dorynium Dioscoridis

dis forte Ponæ Italicè & Cneoro albo affinis C. B. Pin. Dorycnium forte Dioscoridis Ponæ Italicè pag. 463. Col. II. Pl. III. bis repetitur, eadem planta pro duabus diversis, duobus diversis locis, collocata.

Pag. 274, *&* 275. Tragopogon & Scorzonera: cum sunt plantæ lacteſcentes pappoſæ, ad congeneres, Lactucam, Sonchum, Chondrillam, Hieracium, Piloſellam & dentem Leonis, referantur; quæ continentur à pag. 123. uſque ad Paginam 131. Ibidèm Caltha & Helenium Indicum, ſeu flos Solis, malè hic diſponuntur cum ad Corymboſas pertineant. Helenium vulgare ad pappoſas ſtellatas, Aſterem, Conyzam, Doronicum, Crithmum, Chryſanthemum, mandari debet.

Pag. 276. *Col. I. Pl. IX.* Caltha paluſtris capſulas efficit ſeminales, ut Ranunculus globoſus Aconiti in modum: & ſemina ibidẽ contenta, paria; non autem ut Caltha vulgaris.

Pag. 276. *Col. I. Pl. I.* Helenium ad non lacteſcentes, quæ tamen abeunt in pappos; ut ad Aſterem, Conyzam, & ejus Farinæ pappeſcentes, (ut ſupra dictum) debet relegari. Helenium Indicum, ſeu Chryſanthemum

themum peruvianum, ad Corymbiferas seu Corymbosas, transmitti debet, ergò malè confunduntur. Helenium Indicum seu flos Solis, cum Helenio vulgari, cujus flos abit in pappos; ut antè dictum.

Pag. 277. Perfoliata & Bupleurum, cum sint Umbellæ perfectæ; quia flores, quinis petalis constantes, producunt, in summis radiis caulium, quorum singulis evanidis, succedunt bina semina, simùl juncta; ergò debebant inter Umbellas, suæ classis plantas; collocari. Quid quæso connexionis habent Perfoliata & Bupleurum, cum Centaurio minore.

Pag. 278. Gratiola cum sit planta in udis pratis, vegetans: Tubiformem florem galeatæ, aut potiùs parvæ digitalis instàr gerens; cui tamen succedit Theca seminalis, bicapsularis, digitalis, omninò instàr; continens multa minuta semina: hac ratione, aptiùs cum suæ sortis plantis, collocanda; nempe digitale, Verbasco, Blattaria, Scrophularia, Hyperico, &c.

Pag. 280. *Col. II. Pl. II.* Coris cœrulea maritima C. B. Pin. Coris Monspelica Ad. Lob. florem fert galeatum, sed capsulam habet

habet peculiarem, differentem, ab omnibus galeatarum, verticillatarum, capsulis seminalibus. Ideô amandari ad calcem galeatarum, cum Scutellaria & Euphrasia, debet.

Pag. 281. Polygonum latifolium C.B.Pin. & polygonum maritimum latifolium C. B. Pin. cum semina gerant triquetra; ad suæ sortis stirpes relegentur Persicariam, frumentum Saracenicum, &c.

Pag. 281, & 282. Polygonum & anthyllis, proptèr exilitatem, plantarum harum, difficilè admodùm est, ipsas ad idem genus reducere, quia magna est earum differentia, cum in flore, tum in semine.

Pag. 284. *Col. I. Pl. X.* Sedum minus fruticosum, C. B. Pin. Sedum minimum arborescens vermiculatum Lob. malè ab Authoribus ad sedum refertur, cum nil nisi folia, cum sedo minore longifolio commune habeat; florem & semen, Kali gerit, dicique debet Kali frutescens omnium maximum.

Pag. 284. *Col. II. Pl. XI.* Sedum Alpinum luteum C.B Pin. Phyllon thelygonon dalechampii in dioscoridem Lugd. hæc planta quamvis folia gerat vermiculata hirta,

sedi

sedi montani minoris, more, florem tamen fert tetrapetalum cui succedit silicula oblonga Paronychiæ, Alsines folio instár. Est enim hujus species, foliis crassis hirtis: non autem sedi.

Pag. 285. *Col. II. Pl. VI.* Cotyledon stellata C. B. Pin. Aizoon peregrinum Cam. hæc planta nec florem, nec involucrum seminum aliter gerit, quàm Sedum seu Sempervivum minus. Ergò pertinet ad Sedi classem, est enim perfectè Sedum annuum stellatum.

Pag. 285. *Col. I. Pl. II.* Cotyledon media foliis subrotundis C. B. Pin. Cotyledon altera quarta Clus. hist. Cotyledon media foliis oblongis serratis C. B. Pin. & Cotyledon media subhirsuta floribus punctatis C. B. Pin. Cotyledon altera 5. Clus. hist. Hæ tres non sunt verè Cotyledonis .s. Umbilici veneris species, nec à flore, nec à capsulis seminalibus. Florem gerunt quinis petalis constantem: cui succedit involucrum seminis bifurcatum: quemadmodùm, Sanicula montana, Saxifraga Chelidonides, gerunt. Suntque omnes plantæ, ejusdem generis.

Pag. 287. *Col. II. Pl. VI.* Telephium repens folio non deciduo C. B. Pin. ſeptimum ſive legitimum Imperati Cluſ. hiſt. malè hìc collocatur pro Telephio, cum neutiquàm iis accedit, nec flore nec ſemine, eſt potiùs Polygoni ſpecies.

Pag. 287. Scorpioïdes Bupleuri folio, ejuſque ſpecies, item Portulacæ folio, cum florem edunt Papiliaceum, leguminum more; folliculos, per articulos (ſuo, quoque modo) incurvos, & in ſingulis articulationibus ſemina: quæ manſa, perfectè leguminum præbent ſaporem. Ideò ad leguminum claſſem, ſiliquis articulatis, præditam, remitto.

Pag. 288. Cepæa Matth. Sedi vera eſt ſpecies: Proindè Sedis jungenda, nec hìc per ſe collocanda. Ibidèm Crithmum maritimum majus & minus C. B. Pin. & maritimum ſpinoſum. Cum ſunt perfectæ Umbellæ, malè ab ipſis Umbellis diſjunguntur, & hìc collocantur: Item Crithmum maritimum flore Aſteris Attici, malè hìc jungitur duobus Crithmis Umbellis. Quarè amandetur ad Aſterum claſſem, & pappeſcentes ſtellatas plantas.

Pag.

Pag. 294. *Col. I, & II.* Scammonia Monſpeliaca foliis rotundioribus C. B. Pin. & Monſpeliacæ affinis, foliis acutioribus, quum flores & ſiliquas lanigeras; Apocyni in modum, gerant: ad Apocyni claſſem debent amandari: Item Scammonia Syriaca, cum ſit perfectè Convolvulus, ad Convolvuli ſeriem releganda.

Pag. 295. *Col. I. Pl. IV.* Convolvulus minor ſemine triangulo C. B. Pin. Helxine Ciſſampelos Lugd. malè inſeritur inter Convolvulos. Convolvulus enim eſt planta lacteſcens, florem fert Monopetalum unifolium ſeu integrum, capſulas ſubrotundas, ſemina anguloſa nigra, continentes. At hæc, nec lacteſcit, nec florem habet Monopetalum unifolium, quin & ſemen fert triangulare. Frumenti Saracenici, eſt vera ſpecies: Nil commune cum Convolvulo habet; niſi quod vicina quælibet amplectatur & ſcandat.

Pag. 295. Soldanella vel Braſſica maritima major & minor. Cum lacteſcunt & florem, & capſulam ſeminalem & ſemina, Convolvulorum habent: Convolvulis adſcribantur. Ibidèm Soldanella Alpina ro-

tundifolia major & minor, nil cum Soldanella præcedente, habent affine: nisi folia (quod multis semper imposuit) cum sint siliquosæ, aut Corniculatæ: alibi ad finem siliquosarum, (impropriè sic dictarum) collocandæ essent.

Pag. 303, & 304. Polygonatum, Lilium convallium, Monophyllum, Laurus Alexandrina: ad nervosas bacciferas debent relegari.

Pag. 306. Hedera terrestris vulgaris quum sit galeata, verticillata, ad classem galeatarum verticillatarum debet remitti. Quare Bauhinus hîc collocavit post Hederam Corymbosam; nullam ego reperio congruentiam nisi in serpendo, similitudinem: Ita infinitæ congeneres (etiamsi natura diversæ) à nascendi modò disponerentur. Ibidem pag. 306. Cymbalaria, cum florem calcari donatum habet, qui compressus rictum edit, & capsulam duplici loculamento, constantem; septo membranaceo medio, idem diremente producit. Ut cæteræ omnes Linariæ; porro semina minuta suffusca, ejusdem formæ cum Linariæ semine sunt. Igitur debet collocari inter Linarias:

Linarias: cum doctissimo Fabio Columna. Bis repetitur, hîc & pag. 253. ut supra, loco allegato, ostendimus.

Pag. 306. Balsamina rotundifolia repens, sive mas C. B. Pin. Balsamina Cucumerina punicea Adv. Lob. mas Ger. cum sit Cucumis, ad Cucumeris classem debet referi. Ibidem Balsamina fœmina C. B. Pin. fœmina Persicæfolia Lob. & Balsamina lutea seu noli me tangere C B. Pin. cum utraque hæc planta, florem gerat calcari, seu Corniculo donatum, rictum habet peramplum paritèr utraque: utriusque flori deciduo, succedit siliqua, quinis loculamentis donata, quæ (maturò semine) tacta sese contrahit, & semina vi spargit. Ad finem siliquosarum, inter siliquosas minùs propriè dictas collocari debent.

Pag. 309. Gramen parnassi, albo simplici, & pleno flore ad Pyrolam referantur. Ibidèm Saxifraga rotundifolia alba C. B. Pin. alba Chelidonides Lob. hæc ad Saniculam montanam, ut ante dictum, cum qua omninò quadrat: & (flore & semine) remittatur.

Pag. 309. Chelidonia minor: cum omnibus ſuis partibus eſſentialibus (id eſt flore & ſemine) Ranunculis quadret, iis debet accenſeri, & meritò Ranunculus grumoſa radice, folio lato, rotundo, (cum doctiſſimo Dalechampio) appellari.

Pag. 315. *Col. 1. Pl. VI.* Malva folio vario C. B. Pin. Malva trimeſtris vel pumila Cluſ. nota, Bauhinum duas omninò diſtinctas Malvas, pro una & eâdem producere: in Pinace. Cum Malva folio vario, ab ipſo depicta & deſcripta in Prodromo ſit. Nemo inficias ibit ipſam longè diverſam, à Malva trimeſtri ſeu pumila Cluſ. examinantium judicium, penes eſto veritas; utramque colui, & obſervavi, quin & ipſiſſimæ (primò intuitu) figuræ duæ, Cluſii & Bauhini in Prodromo: ipſum convincunt.

Pag. 317. Corchorus ſive Melochia, cum ſit planta ſiliquoſa ſuo modo (ut Balſamina) quæ (maturo ſemine) ſiliquam findit quinquefariàm: & plurima ſemina ſubviridia fundit, ergò collocanda, ad calcem ſiliquoſarum, minùs propriè dictarum.

Pag. 320. Cannabis malè à verticillatis (etiamſi non ſit galeata eſt tamen verticillata)

lata) disjungitur. Ibidèm Eupatorium Cannabinum C. B. Pin. Eupatorium Avicennæ Col. malè hìc disponitur, cum sit papposa planta, ad papposas (nempè virgam auream serratulam & cœteras hujus ordinis) referenda.

Pag. 321. *Col. I. Pl. I.* Cannabina aquatica, folio tripartitò diviso, & folio non diviso C. B. Pin. Eupatorium Cannabinum fœmina Septentrionalium Lobel. Cannabinum Chrysanthemum Tab. hæ plantæ cum sint Corymbiferæ, ad Corymbiferas remittendæ. Ergò malè hìc (habita ratione nominis Eupatorii, ut, ubique Casparum Bauhinum & Authores, facere observavimus, nulla habita ratione notæ Genericæ & essentialis: quæ toti generi convenire debet) collocantur.

Pag. 321. Eupatorium veterum sive Agrimonia C. B. Pin. Eupatorium Dioscoridis & Avicennæ Colum. & odoratum C. B. Pin. quantum discrepant à duobus præcedentibus Eupatoriis, penes lectorem esto judicium. Ibidèm Agrimonoïdes Colum. foliorum aliquam, cum præcedentibus, Agrimoniis, similitudinem habet: sed semen,

florem, capsulamque seminalem diversimodè factam.

Ibidèm. Potentilla, cum florem & fructum, capsulamque seminalem, semen, granulatìm continentem: ad eundem modum, cum Fragaria sterili, Pentaphyllo, Pentaphylloïde habet: Eisdem jungi debet, nec per se hìc locari.

Pag. 322. Dentaria cum sit planta tetrapetala & siliquosa, malè hìc à Bauhino locatur, inter Caryophyllatam & Epimedium, à quibus toto Cœlo differt: ergò siliquosis congeneribus suis, Leucoio, Hesperidi associari debet. Vide pag. 201, 202.

Pag. 323, & 324. Pæonia & Staphis Agria, ad venenatas siliquiferas, Aconitum, Delphinium, &c. amandentur.

Pag. 324. Leontopetalon, cum siliquosa sit planta, transmittatur ad calcem siliquosarum venenatarum. Ibidem Staphis Agria, cum capsulas seminales, accedentes ad Aconitum habet, cum ipsis, disponatur versus finem ejus sectionis.

Pag. 326. *Col.* I. Quinquefolium fragiferum C. B. Pin. 5. fragiferum Clus. Quinquefolium fragifero affine C. B. Pin. Pentaphyllum

phyllum ſupinum Potentillæ facie Lobel. Icon. cum utraque hæc planta coſtas longas habet, quibus quinque interdùm plura, folia adhærent, è contrario, inter ſe foliorum exortu, naſcentia : uno extremum claudente. Potentillæ ſeu Argentinæ ritu : Ego (cum florem & ſemen, aliorum Pentaphyll. lorum more, perficiunt, folia autem aliter diſpoſita habent) Pentaphylloïdes nuncupari velim ; novum conſtituendo genus.

Pag. 326. *Col. II. Pl. VII.* Quinquefolium Lupini folio C. B. Pin. Pentaphyllon θερμόφυλλον Thalii eſt planta ſiliquoſa non leguminoſa, proinde hinc averruncanda. Lupinus peregrinus Pentaphyllos C. B. Pin. Lupinus Arrabicus ſive Pentaphyllum peregrinum Ponæ Italicè, pag. 348. Colum. II. Pl. V. eadem planta duobus his ſuprâ dictis locis repetita, non poteſt pro Quinquefolio propriè loquendo accenſeri; Pentaphyllum eſſe fateor ſed Heteroclitum ; multò minùs eſt Lupinus, cum nec florem Papileaceum, nec ſiliquam leguminoſam fert.

Pag. 326. *Col. I Pl. III.* Tormentilla Alpina folio Sericeo C. B. Pin. Candida Dalechampii hiſt. Lugd. cum omnibus ſuis partibus

partibus essentialibus, flore & semine, Alchimillam æmulatur. Rectè concluditur (cum doctissimo Fabio Columna) esse Alchimilla.

Pag. 327. *Col.* I. *Pl.* II. Trifolium palustre Casp. Bauh. Paludosum Lob. cum Trifoliis leguminosis nil habet affine; nisi quod folia gerat terna: ergò remittendum ad aquaticas plantas, tanquam Heteroclitum.

Pag. 327. Trifolium, Medica, Lotus, Melilotus quæ continentur à pag. 327. usque ad pag. 331. ad finem leguminum pag. 353. debent collocari: cum omnia Trifolia sint legumina Trifoliata, aut Trifolia leguminosa, ex florum structura & seminum sapore, cuilibet gustanti & propiùs consideranti innotescet. Nos prolixiùs alibi (de horum Sympathia seu Identitate, quoad notam Genericam & essentialem) tractabimus.

Pag. 328. *Col.* I. *Pl.* VI. Trifolium montanum Lupulinum III. in Prodr. non debet disjungi à Lupulino vulgari, quamvis montanum: Nam locus non debet considerari ubi spicæ seu capitis similitudo datur.

Pag. 328. *Col.* I. *Pl.* I. Trifolium pratense luteum, capitulo Breviori C. B. Pin.

Meleloti

Meleloti exigua vel minor ſpecies. Thal. floret ut Melilotus ſpicatìm, ſemina rugoſa dura Meliloti inſtàr, producit; rectè igitur pro Meliloto habenda; cum Trago.

Pag. 329. *Col. I. Pl. X.* Trifolium album anguſtifolium, floribus veluti in capitulum congeſtis C. B. Pin. Dorycnium Monſpelienſium Adv. Lob. cum hæc planta ſit Lotus ex appoſitione foliorum, nempè terna habet in extremo pediculo, bina ad appoſitionem Caulis. Ut cernere licet, quemadmodùm, in aliis, qua nota diſtinguitur Lotus. Addenda eſſet Loto Lybicæ, Dalechampii hiſt. Lugd. pag. 332. Col. II. Pl. X. & Loto Pentaphyllo ſiliquoſo villoſo C. B. Pin. Loto Hæmorrhoïdali majori ſeu Trifolio Hæmorrhoïdali majori Park. immediatè ante Pl. IX. in Col. I. paginæ 332.

Pag. 330. *Col. I.* Trifolium acetoſum, etiamque Hepaticum, malè interjiciuntur hîc inter Trifolia leguminoſa (quia nil ſimile niſi folia, habent terna communia, cum Trifolio leguminoſo) videlicèt inter Trifolium & Melilotum.

Pag. 331. *Col. II. Pl. VI.* Lotus hortenſis odora C. B. Pin. Melilotus vera Tab. ſingularis

ſingularis Alpini, Ponæ: eſt vera & genuina Meliloti ſpecies, à ſpicæ florum, & ſeminum diſpoſitione, juncto odore: Meliloto, inter Trifolia leguminoſa, ſemper debito.

Pag. 332. *Col.* 1. *Pl. VI.* Lotus Pentaphyllos veſicaria C. B. Pin. Trifolium Halicacabum ſive veſicarium Cam. Omnis Lotus conſtat quinis foliis, tribus in extremo, pediculi; & duobus parvis, juxta appoſitionem, ad caulem. Hujus foliorum nervus, medius ornatur; binis terniſve foliolis ex adverſo ſitis, magno uno & longo extremum, claudente, Anthyllidis, vulgaris etiam ritu. Ergò aptius Loto affinis, Anthyllis Bætica veſicaria dicenda; quam Lotus, propter rationem antè dictam.

Pag. 333. *Col.* I. *Pl. XII, & XIII.* Rubia latifolia ſpicata & anguſtifolia ſpicata: cum Rubiæ propriè dictæ, nota Generica ſit, baccas aut ſemina rotunda, binatìm teſticulorum inſtár; ferre. Legentium judicium, penes ſit fides; num ſpicata major & minor (niſi à diſpoſitione foliorum ſtellatìm radiantium caulem) Rubiæ nomen mereantur.

Pag. 336. Ruta, Thalictrum malè inter

ſtellatas

ſtellatas (à foliis) Gallium, cruciatam & legumina diſponuntur. Cùm Ruta, aptiùs collocabitur poſt bicapſulares cum, ſit Tetralobos ſeu Quadricapſularis. Thalictrum amandetur, ad Umbellarum finem, inter alias affines: propter ſimilitudinem foliorum cum quamplurimis, Umbellarum, cœterâ nil habent affine quoad partes eſſentiales, flores, & ſemina, binatim ſemper juncta, quod contingit in omnibus & ſingulis Umbellis, cujuſcunque, ſint ſemina figuræ, ut clariùs patefiet in Tabulis noſtris cognationis, in diviſione Umbellarum.

Pag. 337. Faba malè recencetur, pro legumine Capreolis donata: ergò ad legumina, ſiliquas erectas habentia; nobiſcum referatur, Lupinum, Glycyrrhizam, Galegam.

Pag. 338. *Col. II.* Faba ſylveſtris fructu rotundo atro C.B.Pin. ſylveſtris Dod. nulla Fabarum, Capreolis donatur; hæc Capreolis ſcatet, proinde rectiùs vicia omnium maxima diceretur (mea opinione:) adde quod nec ſiliquam ſeu folliculum; nec fructum fert Fabæ in modum: ſed Viciæ omninò æmulum.

Pag.

Pag. 343. *Col. I. Pl. X.* Pisum cordatum Adv. Lob. Vesicarium fructu nigro, alba macula notato C. B. Pin. malè inter legumina Papiliacea & siliquosa seu folliculacea collocatur; cum leguminibus, nec flore nec siliqua quadrat; quippè vesicam, nucis juglandis magnitudine trifariàm divisam, terna in se continentem semina producit, rotunda nigra, cor album lateralitèr, referentia; nec Masticata, leguminis habent saporem: collocetur post Convolvulos cum Nasturtiio Indico. Heteroclita etiam est planta, hoc sufficit impræsentiarùm.

Pag. 348. *Col. II. Pl. V.* Lupinus peregrinus Pentaphyllos, bis repetitur. Vide suprâ pag. 326. Col. II. Pl. VII. Quinquefolium Lupini folio C. B. Pin.

Pag. 348. Lupinus malè illic disponitur, cum debeat adjungi Fabæ; quippè quod siliquas habet erectas; per intervalla, tumidiusculas ubi sunt semina, depressas in interstitiis. Ibidèm malè dirigitur, seu locatur, Fœnugræcum, cum sit Trifolium, ergò amandetur ad Trifolium cujus est species.

Pag. 349. *Col. I. Pl. II.* Astragalus Monspelianus Clus. hist. Securidaca lutea minor,

Corniculis

Corniculis recurvis C. B. Pin. hæc est planta annua, florem fert Ochroleucum seu pallidè luteum. Secundus est Astragalus Monspessulanus Johan. Bauh. purpureus, hist. Lugd. pag. 351. Col. II. Pl. V. an Astragalus parvis foliis Hedysari, seu Securidacæ hist. Lugd. in Appendice. Hic, est valde restibilis, in multos annos durat : flore est elegantèr purpurocœruleo. Tertius est Astragalus erectus annuus nobis ; Vicia Sesamacea Apula Col. Ornithopodio, affinis hirsuta, fructu stellato C. B. Pin. pag. 350. Col. II. Pl. V. Hæc flore est etiam pallidè luteo, siliquas fert triplò majores siliquis, priorum. Nota stellam leguminosam & Viciam Sesamaceam Apulam Col. esse duo distincta & divisa legumina, etiamsi pro uno & eodem à Bauhino ponantur. Quartus Astragalus est perennis, flore luteo pallido nobis : Glycyrrhiza sylvestris floribus luteo pallescentibus C. B. Pin. pag. 552. Col. II. Pl. III. Astragalus Monspeliacus Joh. Bauh. citatur à Casp. Bauhino in Pinace, pag. 351. Col. II. Pl. V. Astragalus villosus floribus globosis C. B. Pin. purpureus hist. Lugd. non est idem, cum Astragalo Monspelliano

Clus.

Cluſ. ex ſupra dictis. Hæc quatuor legumina, cum ſub eodem vexillo militent, ad idem & novum conſtituendum genus elegimus; ex longe diverſis (ut obſervare licet in Bauhino) locis coegimus, à forma ſeminum, Officula Seſamacea, articulis digitorum pedum, ſubſtrata, referentium. Legumina Seſamacea ſeu Aſtragaloïdea, ſiliqua Gemella: Seu breviùs, Aſtragalus ſiliqua Gemella dici poſſunt. Nec norim, in tota familia leguminum, folliculaceorum caterva: præter hæc quatuor, quæ ſiliquas triangulares curvas & inflexas, falcis inſtar, duplice Serie junctas, duplici membranacea Tunica, duplicem dirimente ſeriem ſeminum ſeu fructuum. Hiſce addi poteſt, ſed alterius figuræ, Hedyſarum peregrinum, ſeu Securidaca peregrina Cluſ. hiſt. quatenùs etiam folliculum profert, Spadæ Piſcis, Roſtri inſtar, aut Serræ utrinque Dentatæ, ſimilem: duplicem etiam ſeminum Seriem, planorum fert. Sicque conſtituto novum genus.

1. Aſtragalus Monſpeſſulanus perennis, flore purpurocœruleo: nobis. Purpureus hiſt. Lugd. vide pag. 351. Col. I. Pl. V.

2. Aſtra-

2. Aſtragalus Monſpelianus annuus, flore luteo palleſcenti: nobis. Monſpelianus Cluſ. hiſt. vide pag. 349. Col. I. Pl. II.

3. Aſtragalus erectus annuus, flore luteo palleſcente: nobis. Vicia ſeſamacea Apula Col. vide pag. 350. Col. II. Pl. V.

4. Aſtragalus reptans perennis, flore Ochroleuco ſeu luteo-pallido: nobis. Glycyrrhiza ſylveſtris ſive Glaux vulgaris. Vide pag. 352. Col. II Pl. III.

5. Aſtragalus, ſiliquis Serræ ſimilibus: nobis. Securidaca peregrina Cluſ. hiſt. vide pag. 349 Col. I. Pl. III.

Proprium eſt & leguminoſæ illi plantæ (quæ Tragacantha dicitur) ſiliquas ſeu ſoliculos, ſemiunciales, inter folia & aculeos, (poſt flores à longo tempore deciduos) producere. Duplici Serie ſeminum & ideò prioribus quo ad ſiliquarum, & ſeminum inibi contentorum, ſimilitudinem: valdè accedit. Nec unquàm memini hujus Farinæ, ſeptimum legumen obſervaſſe.

Pag. 349. Securidaca vera: folliculum longè diverſum habet ab Aſtraguli Monſ-

peliani Cluſ. folliculo; nota, ab utrâque: ſecuridacam dumetorum, ſiliquis ſuis articulatis, multùm differe. Nos quemadmodum ſuperiore obſervatione novum conſtituimus genus Aſtragalorum, ab identitate ſeu ſimilitudine non ſolum florum, (qui in omnibus quaſi leguminibus ſunt pares) ſed & ſiliquarum Gemellarum. Et hìc idem intendimus legumina ſiliquis articulatis, longis rotundis, ſtriatis, prædita, eodem revocare & communi nomine Baptizare, etiamſi ſub diverſis, apud Authores nominibus, diverſis in locis reperiantur.

1. Securidaca dumetorum major flore vario C. B. Pin. vide pag. 349. Col. I. Pl. IV.
2. Securidaca Enneaphyllos, ſiliquis in ſummitate: nobis. Lotus malè Dalechampio; nec benè ferrum equinum. C. B. Pin. ibidem Col. II. Pl. IV. cum ſequenti.
3. Securidaca Valentina: nobis. Polygala Valentina; 1. Cluſ. vid. 349. Col. II. Pl. II.
4. Securidaca Scorpioïdes major: nobis. colutea Scorpioïdes Ad. Lob. vide pag. 397. Col. I. Pl. II.

Omnes

Omnes hæ plantæ (quamvis ab Authoribus variis in locis ut à Bauhino variè denominentur) leguminosæ sunt, habentque pro nota essentiali & Generica, hanc, quòd omnium & singularum, sub ipsarum capitulis contentarum, siliquæ, exsiccatæ, per articulos rumpuntur, in singulis interstitiis, singula semina oblonga, Cylindriaca continentur.

Pag. 350. Tribulus terrestris, malè hìc inter legumina propriè dicta collocatur, cum nec florem, nec siliquam, nec semen, habet conformia, ipsis. Ideò propter dispositionem foliorum, Rachi seu nervo medio adhærentium, uno extremum Claudente, (leguminum multorum more) ipsis adjungatur, Tribulus terrestris, sub finem.

Pag. 350. *Col. II. Pl. V.* Stella leguminosa Lob. non est eadem cum Vicia Sesamacea Apula Col. ut cernere licet plantas crescentes: imò & Icones Clus. & Columnæ differentiam facilè detegunt.

Pag. 360. Malè collocavit Bauhinus, Herbam minosam post Polypodium, inter idem & Muscum, cum sit legumen, ad legumina esset referenda.

Pag. 376. Cardui cum sunt plantæ capi-

tatæ perfectæ, quarum flores abeunt in pappos, Spinis ut plurimùm armantur. Ergò malè locantur post Muscum, Fucum & Fungum (imperfectas plantas;) debebant collocari immediatè post capitatas pappascentes, non Spinosas ut Jaceam, Stœben, Cyanum, Centaurium majus, &c. Sola hæc est differentia, quòd maxima pars Carduorum sit Spinis armata, passim, exceptis quibusdam. Quin et sunt quædam genera Carduorum, quorum capita non abeunt in pappos, sed solida efficiunt semina; & idcirco sunt Cardui minùs propriè dicti. Ut clariùs posteà innotescet.

Pag. 382. Bauhinus, inter Carduos Sphærocephalos (saltèm in eâdem sectione) Collocat Carduum Eriocephalum; sed Carduus Sphærocephalus non est Carduus propriè dictus (ut clarissimè docebimus, in doctrinâ de Carduis, in Tabulis nostris cognationis) ergò malè, his adjungitur Carduus Eriocephalus (cum sit perfectè Carduus) Carduo Sphærocephalo, ejusq; generi, quia ei deest secunda conditio ad constituendum Carduum propriè dictum.

Pag. 383. Acanthus sativus & aculeatus

non

non sunt Cardui, nec â flore nec â semine nec ab aliarum partium, suarum dispositione, alterutèr est Carduus. Ideò malè in medio Carduorum disponuntur : substitui possunt ad finem Carduorum, quia Acanthus aculeatus est spinosus. Sunt enim â tota facie, florum, seminum & capsularum seminalium formâ & figurâ plantæ peculiares & heteroclitæ.

Pag. 386. *Col. II. Pl. IX.* Eryngium arvense foliis Serræ similibus C. B. P. Eryngium quartum Dod. malè hic inter Eryngia disponitur, cum ne vel minimam notulam fert ejusdem. Perfecta est umbellifera planta, & rectè ab Oculatissimo Dalechampio in historia sua Lugd. Ammi quorundam nuncupatur. Nota insuper Eryngium, omnesque ejus species non esse Carduos propriè dictos, quia eorum flores non abeunt in pappos, quæ est secunda conditio requisita ad Carduos propriè dictos constituendos. Ut prolixiùs posteâ significabimus.

Pag. 386. Camphorata malè inter Ericam & Sabinam collocatur, cum sit herba, perennis, una in agris Galliæ Narbonensis & Gal-

lo-provinciæ frequens reperitur. Altera annua est,& passìm in Vinetis cernitur.

Pag. 387. *Col.* 1. *Pl.* VI. Carduus Stellatus luteus Cyani foliis C. B. Pin. Spina Solstitialis Dod. confundit hìc Bauhinus, Spinam Solstitialem Dodonæi, cum Carduo Stellato minore Col. qui,& Spina Solstitialis mitior Apula, eidem nuncupatur, & planè est omninò diversa à priore, quoàd alas magìs undulatas, capita habet minora, & semina papposa paritèr minora, utrumque colui, ad aliquot annos.

Pag. 338. Tragacantha est planta leguminosa: siliqua seu folliculo brevi Gemella prædita, duplicem Seriem seminum, continente,proindè ad legumina Astragaloïdea, seu Astragalos siliquâ Gemellâ, referri debet. Vide Astragalos, suprâ; non autem ad Carduos pertinet, nihil enim conforme habet cum ipsis: Summitates Ramorum seu Nervorum sustinentium, multa folia hinc indè è Regione dispositа: Exsiccatæ, pungunt. Quaproptèr Bauhinus hìc collocavit, non video: remittatur ad suas congeneres plantas, (legumina videlicèt Sesamoïdea .s. Astragalos siliquâ Gemellâ.) novum genus facientes,

facientes, ex nobis. Ibidèm Col. II. Pl. II. Poterio affinis ſpinoſa foliis Pimpinellæ C. B. Pin. Pimpinella ſpinoſa Cam. χαλκῆιον Anguillaræ Poterium Dalechamp. in hiſt. Cluſ. Hæc eſt vera Pimpinella, ut cuilibet intuenti cernere licet, ex diſpoſitione foliorum, modo florendi; ſemina globatìm rotunda fert. Ejus Nervi exſiccati pungunt: non tamen Carduis debet aſſociari, ſed cum Pimpinellâ diſponi.

Ibidèm. Anonis haud appoſitè adjungitur Carduis, propter Nervos ad extremum paritèr exſiccatos (vulgaris ſaltem Anonidis) pungentes. Sed cum Anonis ſit Trifolium, ab omnibus partibus eſſentialibus, debet Trifoliis annumerari, ut clariùs demonſtrabimus: cum Trifoliorum diverſa ſubalterna genera, methodicè per Tabulas cognationis exhibuerimus.

Pag. 389. Cytiſus Maranthæ Lugd. incanus ſiliquis falcatis C. B. Pin. Cytiſus omnis vulgò ſic dictus, ſiliquas profert longas, compreſſas, planas, aut hirſutas, ſeu hirſutie pubeſcentes, continentes in ſe ſemina compreſſa tumidiuſcula: Geniſtæ vulgaris penè ritu. Atqui hic ſiliquam producit parvam,

curvam seu falcatam, quæ ex Libro naturæ, propiùs accedit, ad Medicam falcatam: quod me impellit ad judicandum faciliùs & certiùs, Medicæ ftuteſcentis eſſe ſpeciem, quam Cytiſi, utraque & Cytiſus & Medica eſt Trifolium; ergò cui magis accedit in ſiliquis ei eſt magis affinis ex doctrina noſtra. Et ſi, Medica, frutex incana perpetua fronde virens appellaretur: per me non ſtabit. Judicent; qui hæc legerint, an rationi conſentaneum ſit, quod dico.

Cytiſus incanus Creticus C. B. Pin. Ebenus Cretica Proſp. Alpin. exot. Ebenus ſecundus floribus purpureis Joh. Bauh. à quo figuratur. Ex antè dictis de Cytiſo Maranthæ. Hæc planta non eſt Cytiſus: ſed ſpecies elegantiſſima Lagopi maximi; & poteſt dici Lagopus Creticus fruteſcens, folio candicante. Semen collêgi apud Dominum Morinum natu minimum, atque ſatum ſemine, ex Italia ad me miſſo è terra pullulavit, ſed rigore hyemis ſequentis, periit; vidi ad aliquot annos, apud Dominum Morinum natu minimum, habitantem in ſuburbio Divi Germani.

Pag. 520. *Col. II. in appendice* C. Bauh. *ad Pin.* Doronicum Americanum laciniato folio C. B. Pinacis appendice: Cum omnis Doronici (propriè dicti) flos abit in pappos. Quæ est nota Generica & essentialis Doronici. Hujus autem plantæ semina sunt solida, quadrangula Chrysanthemi adinstar. Quarè potiore jure, Chrysanthemum Americanum majus, laciniatis foliis appellabitur. Multò minùs accedit ad Aconiti classem: quippè Aconitum florem fert Cucullatum, cui succedunt capsulæ plurimæ membranaceæ: minuta semina, aspera, continentes, ideò non potest dici, Aconitum Helianthemum Canadense: ut volunt alii.

Animad-

Animadversiones IN *Tres TOMOS Historiæ* UNIVERSALIS PLANTARUM, *JOHANNIS BAUHINI.*

Animadversiones in Tomum primum, Historiæ universalis Plantarum, Johannis Bauhini.

Pag. 374. *Partis Secundæ.* CYTISI facie, Alyssum fruticans Lobel. quorundam. Malè inter Cytisos collocatur à Johanne Bauhino: cum sit siliculosa planta, non verò leguminosa. Ibidèm: Trifolium fruticans

fruticans: malè collocatur inter leguminosas plantas, cum sit Baccifera planta Trifolia: ad Jasminum referri debet.

Pag. 520. *Partis primæ.* Vitis Idæa angulosa describitur, appingitur autem, Echii aut Anchusæ Icon.

Pag. 460. *Part. pr.* Polygonum marinum angustifolium Dalechampii; malè inter Arbores collocatur, cum sit suffrutex tantùm.

Pag. 553. *Part. pr.* Sambucus Rosea describitur; apponitur autem Sambuci aquaticæ Icon. eâdem figurâ, ad *pag.* 552. transpositâ, & Roseæ, figurâ ad *pag.* 553. translatâ, tolletur lapsus.

Pag. 598. *Part. pr.* Dorycnium Imperati & Alypum Monspelianum, malè collocantur hìc, cum sint tantùm plantæ (ut & plurimæ aliæ suffrutices illìc collocatæ) inter Arbores.

Animad-

Animadverſiones in Tomum Secundum Hiſtoriæ univerſalis Plantarum; Johannis Bauhini.

Pag. 12. CIstus Ledum IX. Cluſ. & Ledum Thymi foliis Cluſ. nec à flore nec à capſulâ ſeminali aut ſemine, ſunt habendi Ciſti.

Pag. 23. Roſmarinus ſylveſtris quorundam; malè ſic nominatur, cum à flore & capſulâ ſeminali, ſit perfectus Ciſtus. Idem dicendum de duobus ſequentibus *pag.* 24, & 25. nil enim habent eſſentialitèr, cum Roremarino, nec in flore nec in capſulâ ſeminali, commune. Ibidèm: Libanotidis ſpecies Rondeletii, eſt Anchuſa lignoſior Lobelii, quarè ad Anchuſam amandetur, nullâ habitâ ratione conformitatis in foliis.

Pag. 354. Lotus Corniculata glabra, & hirſuta minor, deſcribuntur: duæ itidèm apponuntur figuræ, quarum prior eſt vitioſa, (quippè Medicam cochleatam, hiſpidam refert) poſterior eſt Loti glabræ, vera figura.

Pag.

Pag. 391. Epimedium quorundam, Columnâ primâ, ejuſdem paginæ, deſcribitur: appingitur autem Anonis ſeu Reſta bovis: & Columnâ ſecundâ ejuſdem paginæ, Anonis deſcribitur. Appingitur Epimedium: hæ duæ figuræ transferantur, hujus eò, illius huc, tranſlatâ figurâ: tolletur lapſus.

Pag. 398. Penultimâ paginâ adverſa Libri XVII. Caryophyllata vulgaris flore luteo parvo deſcribitur: appingitur Hepatica Trifolia.

Nota à pag. 398. *Sedecim paginas ad finem iſtius Libri, eodem numero continuò notari.*

Pag. 459. Gramen repens cum paniculâ Graminis Mannæ deſcribitur. Securidacæ appingitur figura.

Pag. 446. Gramen verſicolor deſcribitur: & pag. 476. Gramen ſtriis pictum deſcribitur. Eadem figura, duabus diverſis deſcriptionibus, appingitur.

Pag. 491. Gramen majus aquaticum Lob. deſcribitur. Appingitur autem Potamogeton.

Pag. 508. Gramen Triglochin: & Hyacinthi parvi facie, Gramen Triglochin. Ul-

nius

nius ejusdemque plantæ, Graminis Triglochin videlicèt florentis, & semen ferentis, figura: pro duabus, toto Cœlo differentibus plantis, ponitur; duabus diversis assignatis descriptionibus.

Pag. 590. Leucoii Hexaphylli, duæ apponuntur Icones: ultima vitiata est, loco floris appingitur bulbus.

Pag. 611. Describitur Paucratium Monspessulanum; appingitur Phalangium non ramosum.

Pag. 803. Campanula Lychnidea: Non est Lychnis, quia non habet florem quinis petalis conflatum; sed integrum seu Monopetalum, ut Convolvulus. Et si lacteſcit, est Convolvulus, mea opinione, nec florem producit Campanulæ in modum, quia, omnis Campanulæ .s. Trachelii Campanulati flos, in margine est quinquepartitus.

Pag. 810. Describitur Rapunculus flore globoso purpureo. Appingitur Campanula minor rotundifolia Alpina Bauh. in Pin.

Pag. 814, & 815. Jasminum Mexicanum sive flos Mexicanus multis. Malè collocatur post bicapsulares plantas: Cum sit planta sui generis: sive Heteroclita.

Pag.

Pag. 816. Campanula Serpilli folio Joh. Bauh. malè etiam hìc collocatur, poſt digitalem ſeu bicapſulares, quum cum Campanula *p.* 796, & 797. in initio Libri XX^mo. debet poni.

Pag. 817. Campanula Linifolia lutea: cum in hallucinationibus Caſp. Bauh in Pin. à nobis exhibitis, ſuprâ, clarè ſatis docuimus, eſſe Linum; non poteſt eſſe Campanula, cum non lacteſcit, nec capſulam habet ſeminalem, nec ſemen Campanulæ, ſed Lini; ergò ut ſuperiùs diximus, ad Linum eſſet referenda hæc planta.

Ibidèm. Quo jure Soldanella montana, hìc collocatur à Joh. Bauh. non ſatìs comprehendo; cum ad calcem ſiliquoſarum aptiùs reduceretur.

Pag. 837. Turritis pulchra nova: non habet florem tetrapetalum, nec eſt ſiliquoſa planta: ergò malè inter ſiliquoſas collocatur.

Pag. 898, & 899. Telephium ſcorpioïdes, & ſcorpioïdes ex ſententiâ veterum; cum flores gerant Papiliaceos, ut cœtera legumina, ſeminaque articulatìm oblonga, perfectum leguminum ſaporem Maſticata, ſuggerentia:

iggerentia : Amandari debent ad finem lantarum ſiliquoſarum Papiliacearum ; leuminum ſcilicét. Non autem ad finem ſiliquoſarum plantarum, tetrapetalarum. Ibidèm, deſcribitur Scorpioïdes montanum, ippingitur Graminis alicujus figura. Ibidèm : Hypecoon ſiliquoſum deſcribitur. Papaveris malè picti, ſativi, appingitur figura.

Pag. 902. Coralloïdes minor bulbifera deſcribitur. Apponitur Rhodia Radix ex Trago.

Pag. 903. Lyſimachia lutea deſcribitur. Appingitur autem Naſturtii figura.

Pag. 927. Naſturtium vel Thaſpi maritimum deſcribitur. Graminis Sparti autem apponitur figura.

Pag. 939. Draba multis, flore albo deſcribitur. Duæ autem figuræ, diverſæ apponuntur. Drabæ videlicèt luteæ, ſiliquis ſtrictiſſimis Cam. & Naſturtii Babylonici Lob. quarum prior (quia ſiliquoſa) eſt rejicienda. Altera (quia ſiliculoſa) eſt vera & genuina.

Pag. 941. Dentillaria Rondeletii ; cum non ſit planta ſiliculoſa (quamvis cauſtica) alibi debet poni.

Pag. 982. Melochia, ſive Corchorus; cum ſit planta ſiliquoſa, Heteroclita: Ad finem plantarum ſiliquoſarum tetrapetalarum, debet poni. Non immediatè ante Lapathum propter uſum, quia eſt Olus Judaicum.

Pag. 984. Lapathum vulgare, folio obtuſo deſcribitur; appingitur Lapathi minimi Tab. figura ſeu Icon.

Animadverſiones in Tomum Tertium Hiſtoriæ univerſalis Plantarum: Johannis Bauhini.

Pars Prima.

Pag. 6. SCABIOSA peregrina rubra, quibuſdam Indica deſcribitur: At figuratur Circium.

Pag. 12. Scabioſa globularis, quam ovinam vocant: Hæc inter Scabioſas non debet locari; cum omnes conditiones, Rapunculo eſſentiales poſſideat (nempè lacteſcit, florem

florem habet Corniculatum, multorum aliorum Rapunculorum more : ſemenque producit ſubrufum, pellucidum) ad Rapunculorum claſſem, releganda eſſet hæc planta.

Pag. 13. Aphyllantes ſeu Globularia Bellidi ſimilis, & Aphyllanti affinis, Scabioſa quinta Cluſ. Bellidi affinis. Hæ duæ, cum non habent notam Genericam, Scabioſæ; ſed omninò accedunt Bellidum claſſi, aptiùs eò relegantur.

Pag. 25. Xeranthemum ſeu Ptarmica quorundam, & pag. 26. Xeranthemi fortè ſpecies & Catanance Dalechampii, flore Cyani, folio Coronopi, & pag. 27. Catanance affinis, Seſamoïdes parvum, flore magis completo Cam. Omnes hæ plantæ, cum non pappeſcunt, non fuiſſent hìc collocandæ; Xeranthemi ſpecies ad Corymboſas, ſolida producentes ſemina amandentur. Catanance utraque, ad Cichorii genus (quippè lacteſcit, & Solida producit ſemina, non autem pappoſa) cujus, ex noſtrâ doctrinâ ſuperiùs traditâ in hallucinationibus Caſpari Bauhini, eſt vera & genuina ſpecies.

Pag. 30. Scabioſa ſquammata argentea. Malè à Johanne Bauhino, pro Scabioſa re-

censetur, cum Scabiosæ caput non abit in pappos, sed in Solida semina. Hujus autem abit in pappos, ergò est aut Jaceæ at Stœbes species.

Pag. 71, & 72. Spina alba, quibusdam capite Echinato & Echinopus minor, vulgò Authoribus, Cardui Sphærocephali dicuntur. Item *pag.* 73, 74, & 75. Dipsaci species malè hìc collocantur, in medio Carduorum propriè sic dictorum: quia non abeunt in pappos eorum capita, ut omnis Cardui perfecti caput: Suntque minùs propriè Cardui, ut & Eryngium, Scolymus: quod alibi clariùs deteximus. Idem esto judicium de Spina lutea seu Scolymo, *pag.* 84. & de Eryngio *paginis* 85, 86, 87, & 88. Amandentur ad calcem Carduorum propriè dictorum. Nota insuper *pag.* 86. Eryngium cœruleum describitur à Johan. Bauhino, & Plomos Lychnitis appingitur.

Pag. 106. Crithmum marinum tertium, Mattheolo flore luteo Buphthalmi; cum sit planta Stellata pappescens, ad Stellatas pappescentes debet relegari, non autem hìc in medio plantarum Corymbiferarum .s. Corymbosarum collocari: quæ Solida angulosa producunt semina.

Pag.

Pag. 108. Helenium seu Enula Campana (per antedictam rationem) ad pappescentes congeneres debet amandari, non autem hìc locari; ut alibi in hallucinationibus Casp. Bauh. observavimus.

Pag. 113. Bellis flore viridi describitur. Thlaspios, Myagri aut potiùs Erucæ peregrinæ Clus. appingitur figura seu Icon.

Pag. 144. Ageratum purpureum Dalechampii; cum non sit corymbosa planta, malè hìc collocatur. Ad finem Euphrasiæ cum Hyssopifolia Bauh. in Prodr. amandetur.

Pag. 151. Heliochrysos Tragi sive Linaria tertia; cum hæc planta pappescit & florum tubulos, virgæ aureæ in modum producit; virgæ aureæ sit species, Linariæ foliis. Sumendo denominationem à potiore & nobiliore parte, scilicèt florum seu florendi modo. Nec Linaria debet appellari, ut prolixè satìs in hallucinationibus suprâ exhibitis in capite Bauh. in Pin. de Linariâ docuimus.

Pag. 163. Pilosella Phlomodis exotica; cum lactescit & pappescit, debet ad suæ sortis familiam relegari: nempè Chondril-

lam, Hieracium, Piloſellam, Dentem Leonis. &c. lacteſcentes, pappeſcentes.

Pag. 195. *& indè ad pag.* 200. Quâ ratione, ductus Joh. Bauhinus, ſubjungit Rutam Corymboſis, non capio; cum Rutæ omnis, involucrum ſit quadricapſulare. Multò magis ipſum miror, dum *pag.* 201. uſquè ad *pag.* 206. collocat Fumariam. Quin & in hujus Serie diſponit Ranunculi ſpeciem, Muſcatellinam, à denticulatione, (junctâ quâdam cavitate) radicis, nullâ habitâ ratione floris & ſeminum, nempè notæ eſſentialis. Deindè, quarè ſubjungit fini Libri XXVI. Melanthium, & conſolidam regalem, non video; cum ſint aliò à nobis aptiùs relegandæ.

Tomi tertii pars Secunda.

Pag. 6, & 7. ANETHUM & Anetho ſimilis planta, ſemine Lato laciniato; cùm ſint Umbellæ, ſemine membranaceo ſubrotundo præditæ: Malè inter Fœniculum & ſequentes Umbellas (quippè ſemine ſtriato donatæ ſunt) collocantur.

Pag.

Pag. 8. Millefolium aquaticum, Fœniculo ſimile umbelliferum; non eſt perfecta Umbella. Millefolii aquatici ſpecies eſt: ergò ad aquaticas eſſet mandanda.

Pag. 9. Deſcribitur Daucus pratenſis Dalechamp. foliis Millefolii: appingitur Filipendulæ figura ſeu Icon.

Pag. 23. Cuminum ſylveſtre primum valdè odoratum, globuloſum, non eſt Umbella propriè dicta, (quia non habet bina ſemina ſimul juncta, quæ eſt nota Generica & eſſentialis toti Umbellarum Serei conveniens) ut in hallucinationibus Caſp. Bauhini, ſuprâ ſatìs dilucidè docuimus.

Pag. 33. Seſeli Maſſilienſe nuperorum folio aliquatenùs ſimili viſnagæ; cum ſemina habet membranacea, oblonga; ad ſui generis Umbellas (non autem inter Umbellas ſemine ſtriato tumidiuſculo ditatas) referri debet. ut clariùs in univerſali noſtrâ Umbellarum diſtributione deducemus.

Pag. 36. Peucedanum malè itidèm, inter Umbellas, ſemine ſtriato tumidiuſculo donatas, locatur: ex dictis ſuprâ. Deniquè adeò confusè Umbellas diſponit Joh. Bauhinus: ut impoſſibile ſit ipſas corrigere

perfectè, quoàd Tabulas noſtras cognationis, ſeu affinitatis exhibuerimus.

Pag. 40, & 41. Libanotis Cachryophoros, quibuſdam floribus luteis & Libanotis Cachrys Hiſpanica; cum ſemen gerant fungoſum exteriùs ad nucis parvæ Myriſticæ magnitudinem, & figuram ovalem: ex quâ notâ peculiari ego creo novum genus Umbellarum; quod Cachrys ſeu Libanotis Cachryophera appellabitur. Ut clariùs eluceſcet, ex diviſione Umbellarũ, in decẽ claſſes diſtribuendarum; ſic à naturâ notatarum, ut apparebit in Tabulis noſtris cognationis.

Pag. 43. Nota Joh. Bauhinum à *pag.* 43. ad *pag.* 53. duo genera Umbellarum inadvertentèr confudiſſe, quorum unius ſemen eſt compreſſum, membranaceum, ſubrotundum ut ſerularum omnium. Alterius ſemen eſt alâ foliaceâ membranaceâ cinctum: ut Thapſiæ ejuſque ſpecierum omnium.

Pag. 64. Paſtinacæ ſativæ, ſive Carotæ rubræ, luteæ & albæ ultima Icon. ex tribus; non indigitat Paſtinacam tenuifoliam; Paſtinacam potiùs latifoliam, ſeu Elaphoboſcum Matth. repreſentat. Ideò malè pro Paſtinaca tenuifolia, hìc ponitur: quarè

ad

ad *pag.* 151. debet referri; ubi eadem Icon. cum alterâ ejuſdem ſpeciei conſpicitur.

Pag. 74. Percipier Anglorum quibuſdam; cum ſit Alchimillæ ſpecies (ut in hallucinationibus Caſp. Bauhin. clarè ſatis, ſuprâ docuimus) non debet inter Umbellas collocari.

Pag. 79. Gyngidium Matth. cum ſit ſemine minore ſtriato, foliis tenuiſſimè diſſectis, præditum. Malè à Joh. Bauhino inter Umbellas roſtratas Scandicem, Myrridem; & Umbellas aculeatas, Caucalidem ſcilicèt ſeu Lappulam (ut cum Johanne Bauhino loquar) diſponitur.

Pag. 83. Caucalis Hiſpanica ſemine rugoſo, & ab illâ paginâ prædictâ, uſquè ad *pag.* 86. Umbellæ omnes illic contentæ: (cum nota Caucalidis ſeu Lappulæ: eſt, ſemine aculeato, ſeu hiſpido donari, ut prolixiùs alibi trademus, ex Libro naturæ inſtructi) ſemine foliaceo, ſeu membranaceo ſubrotundo ditantur, ſub eodem vexillo cum congeneribus ſuis debent Militare. Videlicèt Sphondylio, Paſtinaca ſativa latifolia, Panace peregrino & cœteris (id genus) aliis cognatis, à naturâ ſignatis: Ut magis

magìs dilucidè offeremus, in Tabulis affinitatis noſtris.

Pag. 91. Coriandrum: Coriandrum minus odorum, & Coriandrum ſylveſtre; cum genus Umbellarum per ſe conſtituunt, nempè ſemine rotundo teſticulato præditum: Malè hìc collocantur cum per ſe debent locari. Nota Umbellas ſequentes uſque ad *paginam* 113. eſſe omnes ſemine ſtriato minore præditas; quæ non debebant disjungi à conſortibus præcedentibus, ſemine itidèm ſtriato donatis.

Pag. 113, *uſque ad pag.* 120. Malè Sanguiſorba ejuſque ſpecies hìc collocantur; cum non ſint Umbellæ propriè dictæ, ſed plantæ ſpicatæ, aliquam in foliorum, conformationem cum Pimpinellâ, Saxifragâ umbellata habent. Ideò rejiciendæ eſſent ad calcem Umbellarum propriè ſic dictarum (propter ſimilitudinem foliorum) cum Filipendulâ, Barbâ Capræ, Valerianâ Græcâ, Thalictro, &c. ejuſdem Farinæ. Omninò, non fuerunt diſponendæ à Joh. Bauhino inter Umbellas ſemine minore ſtriato ditatas.

Pag. 137. Laſerpitium, proprium conſtituit genus Umbellarum: Quippè ejus ſemen, plu-

ribus

ribus alis, foliaceis seu membranaceis, alæ molendinæ fluviatilis instàr, (quandò binatìm jungitur ante exsiccationem)constat. Quâ notâ essentiali & Generica, indigitatur peculiare hoc genus Umbellarum.

Pag. 149, 150, & 151. Pastinaca sativa latifolia: cum suæ sortis Umbellis lobatis, semine foliaceo, compresso, subrotundo præditis (ut suprâ dixi) disponi debuit. Non inter Umbellas semine striato minore ornatas; ut Sisarum post se, & Levisticum ante se.

Pag. 164, & 165. Libanotis Theophrasti, Seseli Æthiopicum Mattheolo; & Libanotidi Theophrasti quorundam valdè similis; Costus amara dicta semine crispo: Hæ duæ Umbellæ, ex Libro naturæ, Laserpitii, gerunt tesseram (id est semina sunt ejusdem formæ) ergò jure merito, à nobis recensebuntur Laserpitia.

Pag. 183. Phellandrium, vel Cicutaria aquatica quorundam: non est Umbella propriè loquendo: Quia omnes Umbellæ, habent bina semina simùl juncta, cujuscunque figuræ aut formæ sit semen; atque propter defectum hujus præcipuæ, univer-

salis

salis & essentialis conditionis; minùs propriè dici debet Umbella: In cœteris omnibus, est Umbellæ æmula, hæc Cicutaria aquatica.

Pag. 186. Thapsia latifolia & Carotæ facie, semen gerunt striatum, oblongum; alâ membranaceâ cinctum; Quâ notâ peculiari distinguitur, ab omnibus subalternis generibus Umbellarum: & ideò nos sic distinguemus in Tabulis (exhibendo Genericam & essentialem hanc notam;) nostris distributivis, Umbellarum: confusè omninò ab Authoribus, hucusque exhibitarum. Nota insupèr *pag.* 50. Thapsiæ majoris seu Turbith Garganici, semen latissimum benè repræsentari: Sed vitiosè Sileris aut Cachryos, Peucedani foliis, appingitur folium.

Pag. 189. Filipendula describitur; Dauci autem pratensis apponitur figura.

Pag. 193. Oenanthe Myconi: Malè hìc, inter Umbelliferas, disponitur; cum sit Ranunculi, Asphodeli radice species; ut ex flore & semine, totaque facie apparet. Quarè ad Librum XXX. inter congeneres relegenda est hæc planta.

Pag.

Pag. 282, 285, *&* 286. *usque ad pag.* 287, 288, 289, 290. Sive sub Teucrio, sive Chamædre, omnes hæ plantæ nominentur, sunt veræ & genuinæ Veronicæ species; quippè sunt tetrapetalæ siliculosæ, septo medio membranaceo, discriminante duplicem Seriem seminum, ut videre licet in siliculosis tetrapetalis; ut Bursâ pastoris, Thlaspi, Cochlearia, Nasturtio hortensi, Drabâ siliculosa, Lepidio, Iberide, &c.

Pag. 290. Chamædrys Alpina, flore Fragariæ albo describitur: Hormini appingitur figura.

Pag. 291. Scutellaria Teucrii facie & *pag.* 293. Scorodotis, seu Scordium folio Salviæ. Nota has verticillatas & Galeatas, ad finem verticillatarum & galeatarum rejici debere. Quia capsulas seminales non more aliarum, quinquefariàm in margine divisas gerunt; sed Scutellæ in modum: undè novum genus creavimus ex pluribus hinc illinc, ex Authoribus variis collectum. Vide, & consule hallucinationes Casp. Bauh. à nobis exhibitas.

Pag. 307. Verbascum sylvestre Monspelliensium flore luteo hiante; describitur.

At

At umbellifera appingitur planta, fortè Scandix.

Pag. 321. Describitur Galeopsis, sive Urtica iners, &c. & *pag.* sequenti appingitur Balsaminæ Persicæfoliæ (fortè) figura florentis.

Pag. 323, & 324. Locustà herba, & Locusta altera foliis serratis: Malè hìc committuntur, ad finem galeatarum, verticillatarum, cum quibus nil planè habent affine; remittantur ad *pag.* 212. & claudant Sectionem Umbellarum; etiamsi non sint Umbellæ perfectè. Quia non habent bina semina simùl juncta, quæ est nota essentialis & Generica omnibus & singulis Umbellis, perfectè sic dictis conveniens. Tamen florent quodammodò Umbellarum more & earundam folia, aliquatenùs Valerianæ Alpinæ accedunt.

Pag. 348. Flos Cuculi, flore multiplici purpureo, & altero albo describitur. appingitur Alsines minimæ species.

Pag. 362. Alsine major, repens, perennis describitur: Apponitur Polygalæ luteæ Icon.

Pag. 364. Alsine minima describitur:

Appingitur

Appingitur odontidis flore pleno Icon. hujus figura ad *pag.* 348. illius ad *paginam* 364. transferatur, & tolletur lapsus.

Pag. 366. Alsinæ fœtidæ quodammodò similis laciniata; delineatur seu describitur: Phaseoli autem apponitur figura seu Icon.

Pag. 367. Alsine serrato folio hirsutiori, floribus & loculis Cauliculis adhærentibus; Alsine oblongo folio serrato, flore cœruleo. Et *pag.* 368. Alsine folio profundè secto, flore purpureo seu violaceo; Item Alsines genus, Fuchsio folio Hæderulæ hirsuto: Omnes hæ quatuor plantulæ; cum singulæ singulos edunt flosculos (cujuscunque coloris) quatuor petalis constantes, singulis earum floribus succedunt siliculæ bicapsulares, Veronicæ in modum. Ut satis clarè in hallucinationibus Casp. Bauhini, in Pin. nobis solummodò observatis; ostendimus. Inadvertentèr omnes quasi Authores, hucusque has; Alsines species constituêre. At pro Alsines speciebus, non sunt reputandæ; cum Alsines flos constat quinis petalis, ad medium bifidis; cui deciduo succedit capsula coni instar. Ergò intuendo Librum naturæ Veronicæ species sunt annuæ: Consule hallucinationes

lucinationes Casp. Bauh. à nobis suprâ editas. Muta Alsines nomen, & denominando ipsas, Veronicam ; habes naturæ intentum.

Pag. 375. Polygoni, duæ appinguntur Icones, quarum posterior est vitiosa.

Pag. 381. *usque ad pag.* 385. In quibus omnibus continentur Androsæmum, Ascyrum, Hypericum; quæ omnia malè illic constituuntur inter Polygonum, & Polygalam: Cum sint bicapsulares, Pyramidales seu Coniformes (quoad involucra seminum) essent relegandæ ad digitalem, Verbascum, Blattariam, Gratiolam, &c. ut suprâ docuimus ; in hallucinationibus Casp. Bauh.

Pag. 382. Hypericum Ascyrum dictum, Caule quadrangulo describitur: appingitur Ocymoïdes non spectosum, seu Lychnis sylvestris, alba noctiflora Cam. hujus Icon. ad *pag.* 344. & illius ad *pag.* 382 transmittatur, & sic tolletur error Joh. Bauh.

Pag. 386. Onobrychis lutea Dalechamp. describitur; at appingitur Alsines majoris repentis, perennis, Icon. hujus Icon. ad *pag.* 362. illius, ad prædictam 386. transferatur ; & inadvertentia Joh. Bauhini auferetur. Nota ibidèm insuper Joh. Bauh. haud appositè

positè Polyganon pro Polygala scripsisse.

Pag. 410. Pulsatilla alba describitur. Appingitur autem alterius plantæ Icon.

Pag. 414. Ranunculus cum flore in medio folio, radice tuberosa; cum non producat semina Ranunculi in modum, sed Aconiti: Unde à siliquis Aconiti & flore Ranunculi, Aconitum Ranunculoïdes 1. appellamus in hallucinationibus Casp. Bauh. sicut per eandem rationem Ranunculus flore globoso quibusdam, trollus flos *pag.* 419. à siliquis longis membranaceis Aconitum Ranunculoïdes 2. appellamus: Consule hallucinationes Casp. Bauh. à nobis superiùs editas.

Pag. 421, & 422. Scrophularia maxima radice fibrosa, describitur; appingitur autem Sideritis Monspeliaca. Nota insuper, malè Scrophulariam inter galeatas verticillatas collocari, cum sit planta bicapsularis ut alibi docuimus.

Pag. 426. Sideritis Monspeliaca describitur; appingitur autem Scrophularia maxima radice fibrosa. Hujus Icon. ad *p.* 422. & illius ad *pag.* 426. transferatur, & corrigetur error.

Nota insupèr, quæ stirpes continentur à

pag. 421. Libri XXX. usque ad pag. 468. ejusdem Libri, debent referri ad Libros XXVIII, & XXIX. videlicèt, quæ continentur à pag. 421. ubi intuenti sese offert Scrophularia vulgaris major, usque ad pag. 449. ubi legitur Bangue; debent amandari ad Lib. XXVIII. pag. 323. ubi legitur Galeopsis. Quippè quod verticillatæ & galeatæ, verticillatis & galeatis essent addendæ Quæ autem continentur à pag. 450. ubi in conspectum sese dat Linum: usque ad pag. 467. ubi legitur Reseda: Debent referri ad Libri XXIX. pag. 371. ubi legitur Numularia.

Pag. 434. Gratiola, malè à Joh. Bauhino (cum sit bicapsularis Coniformis planta, ad Scrophulariam, Verbascum, Blattariam, &c. referenda foret) inter verticillatas & galeatas plantas disponitur.

Pag. 446. Urtica minor annua, hujus Icon est vitiosa.

Pag. 455. Alsine verna glabra, malè hìc à Joh. Bauhino collocatur, inter Lini species: Quia est perfecta Alsine à flore, quinis petalis ad medium bifidis & capsulâ seminali, Alsinarum more, factis donata.

Pag. 456. Passerina Tragi, & *pag.* 455. Passerina

Passerina Lobelii neutra harum est Linaria, nec à flore, nec à semine: Nil habent commune cum Linaria nisi folia; sunt plantæ sui generis & Heteroclitæ.

Pag. 461. Linariæ similis; duæ adferuntur in medium figuræ, quarum neutra est Linaria, prior refert Polygalam, Altera est Anonymos Clus. seu Heteroclita cujus folia quodammodò Linariæ foliis sunt similia. Idem dicendum venit, de Linaria belvidere.

Pag. 463. Antirrhinum vulgare, hujus tres apponuntur Icones: quarum, prior est Junci cum utriculis: (Casp. Bauh. in Prodr.) Icon.

Pag. 468. Scrophularia minor Lib. XXX. debet amandari, ad *pag.* 420. ubi legitur Ranunculus. Post admissos alios ejusdem generis, in appendice ad Tomum tertium, contentos.

Pag. 471. Caltha palustris flore multiplicato: Cum siliquas plures oblongas, membranaceas, semina in se continentes nigra; producit Caltha palustris: Benè mea opinione, subjungi debet Aconito flore Ranunculi in medio folio: quod continetur *pag.* 414.

Pag. 482, & 483. Chelidonia major & eadem folio laciniatomalè, collocantur hìc; cum ad siliquosas tetrapetalas plantas debent referri. Quæ continentur in Tomi 2. Lib. XXI. tetrapetalæ siliquosæ, tetrapetalis siliquosis jungendæ sunt: cum in Tomi 3. Libro XXX. nil habent affinitatis. Nec cum genere antecedente Ranunculo, scilicèt, nec cum genere sequente aquilegia: Sed sunt tetrapetalarum siliquosarum veræ & genuinæ species; ut cuilibet consideranti, cernere licet.

Pag. 484, & 485. Aquilegia cum sit planta siliquis membranaceis plurimis, Aconiti & Delphinii adinstàr, debuit iisdem subjungi.

Pag. 486, & 487. Thalictrum ejusque species; à similitudine foliorum, in ipsorum dispositione, cum plurimis Umbellis conveniunt. Idem contingit Filipendulæ Ulmariæ, seu Barbæ Capræ, aliisque; jure accidentali, possunt ad finem Umbellarum disponi: ut superiùs clarè satis ostensum fuit.

Pag. 489. Leontopetalon cum sit planta Heteroclita, ad finem Ranunculorum potest amandari.

Pæonia

Pæonia ejuſque ſpecies, adjungantur iis quæ plurimas ſiliquas membranaceas habent; ut Delphinio, Aconito, Aquilegiæ, Staphidi Agriæ, cœteriſque illius Farinæ: ut nos concluſimus.

Pag. 496. Primula veris, caulifera, prolifera, odorata deſcribitur. Appingitur confusè cum Primula veris floribus plenis ex ſingularibus pediculis.

Pag. 497. Primula veris floribus plenis ex ſingularibus pediculis, deſcribitur. At appingitur Umbellifera Primula veris confusè cum prædictâ.

Pag. 521. Gentiana folio convoluto, eſt à flore & capſulâ ſeminali etiamque ſemine Lychnidis (Saponariæ dictæ) ſpecies genuina; neutiquam eſt Gentiana. Ergò malè hìc cum Gentianæ ſpeciebus locatur; relegari debet ad Lychnidum claſſem. Saponariam nempè, eandem cum Caſp. Bauhino Saponariam concavam nuncupando.

Pag 524. Gentianæ ſpecies, Calathiana quibuſdam radice perpetua, ſive paluſtris deſcribitur: duæ autem Gentianæ, omninò diverſæ Icones apponuntur; prior vera, alterius eſt Gentianæ punctato flore Cluſ. Icon.

Pag. 533. Bifolium majus, ſive Ophrys major quibuſdam: Malè hic locatur, cum meliùs congruit cum Helleborine; cujus eſt multò magis æmula, quoàd omnes ſuas partes.

Pag. 538. Biſtorta, cum ſit ſemine triangulari donata; magis appoſitè diſponeretur poſt Lapathum acetoſam, &c.

Pag. 563. Tuſſilago,& à *pag.* 563. uſque ad *pag.* 569. in quibus continentur Tuſſilago,Petaſites,Cacalia; quæ omnes,cum pappeſcunt & non lacteſcunt, debent pappeſcentibus, non lacteſcentibus ſubjungi: Videlicèt Jacobææ, Senecioni, Gnaphalio, Stœchadi Citrinæ, &c.

Pag. 579. Bugloſſum vulgare, majus & minus, utrumque flore duplici: malè figuram exhibet Joh. Bauhinus Bugloſſi vulgaris,flore ſimplici.

Pag. 588. Echium tenuifolium deſcribitur. Appingitur Bugloſſi ſpecies, latiore folio: obſerva hoc diſcriminis intercedere inter Bugloſſum,ſeu Borraginem,& Echium ſive Lycopſin, Bugloſſi ſeu Borraginis flos conflatur ex quinis petalis acutangulis, cingentibus ad baſin fimbriam villoſam; in cu-

jus

jus medio totidèm prominent Apices conjunctìm, aculeum referentes; ſed Echii ſeu Lycopſios flos, eſt corniculi aut tubuli inſtàr, oblongus, in ſuperiore floris parte longiùs porrectus; in inferiore margine brevior; utriuſque (floribus diſcuſſis) in vaſculis, tria vel quatuor ſemina conjunctìm poſita ſunt, oblonga, rugoſa: veluti ſemina Conſolidæ majoris.

Pag. 590. Cynogloſſa fortè Topiaria Plinio, ſeu Echium lappulatum quibuſdam, deſcribitur; ſed perperàm appingitur Cynogloſſa, folio virenti Joh. Bauhini.

Pag. 592. Lithoſpermum majus Dodonæi flore purpureo, ſemine Anchuſæ deſcribitur. Sedi autem aliqua appingitur ſpecies; nempè Sedum Alpinum minimum foliis cinereis, flore candido, deſcriptum in *pag.* 692. hujus Icon. ad *pag.* 692. illius autem Icon. ad pag. 596. transferatur, facilè emendabitur error.

Pag. 598. Cynogloſſum vulgare malè exhibetur; quia Icon. eſt vitioſa.

Pag. 600. Cynogloſſa folio virenti Joh. Bauhini deſcribitur. Appingitur autem Cynogloſſa fortè Topiaria Plinio, ſeu Echium

lappulatum quibuſdam, hujus Icon. *pag.* 600. contenta, ad *pag.* 590. amandetur: & illius huc transferatur, & ſic corrigetur lapſus.

Pag. 637. Buphthalmum Dodonæi aliis Conſiligo tenuifolia, cum ſit planta Corymboſa, ſemine Adonidis Emulo prædita, ad Corymboſas debet amandari.

Pag. 638. Sanicula fœmina quibuſdam, aliis helleborus niger; cum ſit planta umbellifer, aut clarè ſatis docuimus in hallucinationibus Caſp. Bauh. ad Umbellas eſſet releganda, cum Tabernemontano, eamque appellando Imperatoriam nigram.

Pag. 641. Staphis Agria, cum ſit planta gerens plures ſiliquas, membranaceas continentes ſemina dura, lucida, nigra; relegetur ad Aconitum, Delphinium, Aquilegiam, &c.

Pag. 643. Ricinus cum ſit planta tricoccos, & ſimili purgandi virtute prædita, cum Tithymalo, ejuſque ſpeciebus; debet ipſis ſubjungi.

Pag. 650, & 651. Thora folio Cyclaminis, & Thora Apula folio Alchimillæ; cum ſint Ranunculi, à flore & ſemine; non eſt dubitandum quin debeant relegari ad Ranunculorum claſſem.

Pag.

Pag. 660. Aconitum racemoſum, actæa quibuſdam; cum hæc planta ſit baccifera, Solano magìs accedit (mea opinione) quàm Aconito, ut ſuprâ innuimus.

Pag. 678. Portulaca hortenſis, latifolia deſcribitur. Appingitur autem Menianthes, ſeu Trifolium paludoſum.

Pag. 680. Sedum Echinatum vel ſtellatum flore albo deſcribitur; vitioſa appingitur Icon. fortè alicujus Polygoni.

Pag. 684. Cotyledon, altera olìm Matthеolo; non eſt Cotyledonis propriè dictæ ſpecies; ſed florem fert Sedi aut Saniculæ montanæ, capſulamque paritèr in ſuperiore parte biſurcatam, in qua plurima continentur ſemina tenuiſſima.

Pag. 685. Cymbalaria floſculis purpuraſcentibus, neutiquàm huc pertinet, ſed debet jungi Linariæ familiæ. Cujus fert teſſeram ſeu notam Genericam: ut ſuprâ in hallucinationibus Caſp. Bauh. ſatis evidentèr à nobis deducitur.

Pag. 692. Sedum Alpinum minimum foliis cinereis, flore candido deſcribitur. Appingitur autem Lithoſpermon majus Dod. flore purp. ſemine Anchuſæ. Vide *pag.* 592.

fiat

fiat transpositio Iconum,& tolletur lapsus.

Pag. 710, & 711. Lunaria Botrytis ejusque species, malè hic digeruntur; cum sint perfectæ filices, inter filices collocentur.

Pag. 722. Spergulæ tres Icones,malè illìc disponuntur inter Rubiæ species. Quia Spergulæ, à flore & capsulâ seminali, sunt Alsines perfectæ species. Ergò ad Alsines classem debent relegari; nullâ habitâ ratione foliorum, per intervalla stellatìm positorum.

Pag. 728. Drypis Theophrasti, cum sit Carduus,malè hìc inter Asparagum & Equisetum digeritur; & à suæ sortis familiâ disjungitur: Ergò ad Carduorum seriem debet jure mandari.

Pag. 754. Trichomanes,sive Polytrichum describitur. Appingitur autem Cardui alicujus Icon.

Pag. 762. Phyllon, Thelygonon Dalechampio, cum siliculam habet bicapsularem, septo membranaceo, duplicem disterminante seriem seminum; Paronychiæ muralis adinstàr, aptè (meâ sententiâ) Paronychia foliis crassis, hirtis diceretur. Ibidèm Tridactylites Alpina: florem & capsulam semina-

seminalem habet; ut Sedum Tridactylites tectorum: Ergò ad Sedi classem esset relegenda, & non hìc collocanda hæc plantula.

Pag.868.in appendice ad Tomum tertium. Auricula ursi orbiculata, serrata coloris rubicundi describitur. Appingitur autem vitiosa Icon: fruticis scilicèt alicujus, ramus.

Ad

Ad virum insignissimum, Doctissimum & vitæ integerrimum, Dignissimumque Dom. *Johannem Fell*, in sacrosanctâ Theologiâ Doctorem, Collegii ædis *Christi* Decanum & Universitatis *Oxoniensis* Procancellarium vigilantissimum S. P. D. Author.

Clarissime Vir,

POST *reditum meum*, Oxoniâ Londinum, *amicorum quorundam Precibus solicitatus: ut præludia* Botanica *hæc Mea, typis committerem: quæ jam tandem prelo excessêre. Quæque viam, ad methodum nostram novam (cujus tibi exemplar ostendi) præsternunt: novam appello quia nemini hucusque cognita: antiqua tamen quia à tertio die creationis mundi, eadem semper fuit, quæ hodie est. Reverende Vir, non ita pridèm (ut nosti) invisebam splendida vestra & magnifica ædificia; Collegia, Scholas, Bibliothecam,*

Bibliothecam, Theatrum, publicis actibus designatum, vix adhuc finitum. Liberalitate & sumptibus, Reverendissimi in Christo Patris, Archiepiscopi Cantuariensis; Gilberti Shelden, *ejusdémque Universitatis Cancellarii dignissimi; à fundamentis erectum. In Symbolum gratitudinis suæ, erga almam matrem suam: cui præsentem ingenii Culturam debet. Magnificum hoc Theatrum (omnium in* Europâ *facilè primum) ut & omnes graviores curæ Universitatis; vigilantiâ, labore & inspectione tuâ, (nec auribus tuis jam do) diriguntur. Dum fabricam & structuram omnium* (inquam) *horum publicorum ædificiorum, animo volvo: Nihil unquam apud exteras nationes, ipsis comparandum, audactèr asserere audeo. Sed dum numerosam Doctissimorum, in omni literarum genere, hominum illàc Congregationem penitiùs considero: Dumque omnes eâdem suspendo bilance, Dialogum hunc, inter Socium* Londinensis *Collegii Regii, & Me: nulli aptiùs, quam tibi inscribere; ratum & statutum habeo. Solutiones quarundam quæstionum propositarum; inter prandendum, Domi tuæ, sub idem tempus; invenies. Cum de methodo Authorum, in rem*

Botanicam,

Botanicam, *hucusque scribentium*; *tum*, *de Plantis imperfectis agit*: *Estque hic totus ferè scopus totius Dialogi. Accipe igitur*, *hilari animo*, *hæc nostra alterna colloquia* Botanica. *Tu qui me benignè recepisti*, *omni humanitatis officio*, *me affeciſti*: *dum apud vos conversarer. Utinàm vobis aut vestris inservire possim commodis*: *Me invenietis paratissimum*; *Vale. Et ut diu vivas*, *Deum optimum*, *maximum precor*:

Vir Reverende

&

Doctissime,

Tuus obsequentissimus

&

Observantissimus servus,

ROBERTUS MORISON.

DIALOGUS
INTER
SOCIUM,
COLLEGII REGII
LONDINENSIS,
GRESHAM dicti:
ET
BOTANOGRAPHUM
REGIUM.

Socius. Botanographus.

Socius. EANDO ad meas pervenit aures, imo jam cum in memoriam revoco, ex tuo ore hausi: Te excogitasse, aut saltem incidisse in methodum generalem omnium stirpium, per Tabulas quasdam cogna-

cognationis, seu affinitatis; sed quid sibi velint hæ Tabulæ, nondùm assequor. Quarè velim, ut paucis privatìm inter nos de eisdem conferamus. *Botanographus.* Methodum me observasse fateor: Estque, omnium, quæ unquam adhuc fuerunt exhibitæ: præstantissimæ & certissimæ: est quippe à naturâ data, à me solummodò (citra jactantiam) primum observata, quamque publici juris facere brevi, in me suscepi. Si Mœcenates faverint, nostris conatibus & lucubrationibus per aliquot annos à nobis exantlatis. *Soc.* Volumina multa magna evolvi, de re Botanicâ: Sed methodum stirpium hucusque desidero; quæ multùm conduceret ad citiùs & certiùs vastum illum Oceanum, plantarum seu Stirpium addiscendum. Insuper Calcaria adderet multis nobilibus, doctisque hominibus, plantas è terrâ pullulantes avidiùs contemplari & divinum artificium summoperè mirari: sed quid quæso tu dicis, qui tres modios salis in Galliâ comedisti: de historiâ universali Plantarum, Lugdunensi; à Dalechampio editas. *Botan.* Fateor me fœlicitèr in Galliâ vixisse multaque illìc evolvisse volumina,

cum

cum magna, tum parva, de arte (aut scientiâ si mavis) Botanicâ sub auspiciis sereniſſimi principis Gaſtonis Franciæ: qui in re Botanicâ fuit peritiſſimus, omnium Stirpium, diligentiſſimus ſcrutator, & oculatiſſimus obſervator. Sed ut tibi ſatisfiat, redeo ad Gallum noſtrum Botanicum, Dalechampium: fateor Dalechampium fuiſſe Medicum inſignem, & perdoctum Botanicum. Quin & opera ejus, Botanicis multùm profuêre: ſed quod utplurimùm mortalibus contingit; ipſe præmaturâ morte abreptus, chartas ſuas & Icones à Mattheoli, Lobelii, Dodonæi, & Cluſii hæredibus; ſuis ſumptibus emptas, & collectas: in muſæo ſuo, poſt ſe reliquit. *Soc.* Quomodò ergò prodiit in lucem hiſtoria illa Lugdunenſis? *Botan.* Paucis id tibi perſtringam: Hæredes ejus aliquot poſt mortem annos, cum Tipographis lucrum faciendi avidi; ipſis pretio & chartas & Icones prædictorum Authorum vendidêre. Typographi autem, rem totam Medico cuidam (iſtius oppidi) dicto Molinæo, commiſêre. Hic cum Typographis, aut ſaltem eorum crumenâ conſultans, talem, qualem præ manibus habemus, hiſtoriam Lugdunenſem

edidit. Primò Latinè, deindè Gallicè, & in duos Tomos, in folio distinxit: Utraque editio est vitiosa & depravata, ut colligere potest quivis; ex animadversionibus Caspari Bauhini in historiam Lugdunensem, ubi quingentæ plus minusve plantæ, bis terve repetuntur. *Soc.* Animadversiones, Casp. Bauh. in historiam Lugdunensem vidi, ipsamque historiam perlustravi; & gravitèr Authorem, Molinæum sic à te designatum, hallucinatum esse observavi: sed ad propositum redeamus. Quid dicis quæso, de methodo Dalechampii? *Botan.* Est nulla, aut saltem parùm idonea, ad methodicè plantas discendas. *Soc.* At ego (ni fallor) aliquam observavi methodum, & ut puto à locis natalibus, seu natalitiis desumptam. *Botan.* Æquum dicis. Oblivioni tradideram; sed jam revoco in memoriam. *Soc.* Sed quid tu de ista methodo sentis? *Botan.* Est planè ex meâ sententiâ rejicienda. *Soc.* Quare? *Botan.* Quia plantas per natales (utplurimùm) seu natalitia loca disponit; Et ego libentèr à te peterem; quid quæso debet impellere vel mediocritèr Botanicæ rei scientem, disjungere Ranunculum à Ranunculo: an quia quidam crescunt

in

in ſummis Alpium jugis & Pyrenæis montibus, alii in ſylvis, ſive annoſis, ſive cœduis, alii deſcendunt ad prata & loca campeſtria; novalia & arva ſcilicèt; alii deniquè in paluſtribus & aquoſis locis proveniunt: Sed cum omnes habent teſſeram ſeu ſymbolum Ranunculi, debent ſimul diſponi in unâ aut alterâ Tabulâ cognationis. *Soc.* Quid tu vis, per teſſeram .ſ. ſymbolum? *Botan.* Ego per teſſeram intelligo notam Genericam, & eſſentialem; toti Seriei Ranunculorum convenientem, ubicunque locorum creſcentium. *Soc.* Quænam eſt nota eſſentialis Ranunculorum. *Botan.* Eſt habere florem ex quinis, utplurimùm (Aſiaticos excipio, qui à luxuriante naturâ ſex, ſeptem, octo; nunc plura, nunc pauciora producunt) petalis conflatum; eidem flori, ſuccedit, racematìm, aliquando orbicularitèr, aliquando longitudinalitèr, ſpica; ex ſeminibus compreſſis, acutis compacta. *Soc.* Jam intelligo quid ſit nota Generica hujus longè patentis generis: ego nunquam hoc obſervavi ante hanc tuam deductionem; ſed in pratis & ſylvis, imò in hortis ipſis ſuburbanis, diligentiùs impoſterùm obſervabo. Unus mihi reſtat ſcrupulus, qui

me malè habet, de temperamento Ranunculorum. Suntne omnes calidi, & causticæ facultatis, quod nobis innotuit primò (nisi me animus fallit) ex Mendicis publicis, qui Ranunculorum foliis, tibiis applicatis, exuunt cuticulam seu epiderma; imò nonnunquam cutis ipsius & musculorum magnam partem, eamque ulcerant, ad prætereuntium movendam commiserationem, & ad vilem stipem seu Eleemosynam obtinendam? *Botan.* Hoc lippis & tonsoribus notum: hoc præstant viles animæ, Mendici: Confiteor maximam Ranunculorum partem, esse causticâ facultate præditam, sed non omnes. *Soc.* Qui sunt illi, qui non sunt calidi? *Botan.* Ipsæ Authorum denominationes hoc tibi indicant, ut Ranunculus Holeraceus, Ranunculus dulcis Tragi, Ranunculus Muschatella, dictus, &c. advocetur gustus in opem. *Soc.* Ego constantèr asseveravi, causticam facultatem fuisse de essentiâ omnium Ranunculorum. *Botan.* Contrarium vides, & ego Anthoram, quamvis contrariam habeat virtutem (si credendum est veteribus scriptoribus) ex Aconitorum genere, à flore Cucullato, & Thecis membranaceis, seminibus Angulosis

gulosis, subrotundis, asperis (aliorum Aconitorum more) esse concludo. Quin & insuper, si bene observaveris, Delphinium, aut Consolidam regalem, per eandem rationem, Aconiti ferre tesseram, percipies: & ideò ego sic Tabulas cognationis .s. affinitatis construendas suscepi, sequendo ductum naturæ, solâ naturâ monstrante mihi methodum & viam; à fine ultimo petitam. Videlicèt fructificationis similitudine, ut prolixiùs alibi ex me audies, ut plenè satisfiat tibi: secundam, adferam in medium instantiam. An tu liberè disjungeres Lapathum aquaticum, seu Hydrolapathum, à Lapatho diversi generis suburbano, aut montanum, seu Lapathum Monachorum, ab utroque prædicto genere, Lapathorum? Quia in montibus celsis Alpium provenit: sicut Rhabarbarum in Thraciæ montibus altis. *Soc.* Quid, tu Rhabarbarum statuis Lapathum itidèm? *Botan.* Nil aliud est καθ' ἐξοχὴν, quàm omnium Lapathorum optimum. *Soc.* At Casp. Bauh. disjungit & per se collocat, nec in medium producit aliquem Authorum .s. veterum .s Neotericorum, Lapathum appellantem: Sed ab omnibus Rha, & Rhaponticum seu Rhabarbarum dicitur.

Botan. Ego nunquam eſſentiam plantarum, deſumendam ab Authorum denominatione putavi, ſed à florum formâ, & ſeminum conformatione: vide *pag.* 117. *Col. II. Pl. V.* in hallucinationibus Caſp. Bauhini à nobis exhibitis, præludiorum Botanicorum noſtrorum, parte ſecundâ: Et videbis quam confusè Caſp. Bauh. digerit capita illa duo de Lapatho, & Rha ejuſque ſpeciebus. *Soc.* Ergò tu concludis, Rhabarbarum eſſe Lapathum, à fine ultimo, id eſt, ſimilitudine ſeminum triangularium, ut ſunt omnium Lapathorum, ſemina triangularia .ſ. triquetra, rubra aut nigra. *Botan.* Quid ni? noli quæſo de hoc dubitare. *Soc.* Poteſne alias dare inſtantias? *Botan.* Centum, imò ſexcentas ſi velis. *Soc.* Aliam audire libentèr velim. *Botan.* Noſtine vulgarem & putidam illam plantam (ejuſq; ſpecies varias) quæ Atriplex dicitur? *Soc.* Nihil meliùs. *Botan.* Nondumne percipiſti à ſemine; duo eſſe ejus genera; ab Authoribus nunquam (ante me) obſervata? *Soc.* Hoc me latet. *Botan.* Ego paucis tibi apperiam: primò, ſi obſervaſti Atriplicem hortenſem, rubram & albam; ſemina ſpicatim producit, in ſummis caulium, ſingula, binis

nis foliolis incluſa. *Soc.* Quid tùm ſequetur? *Botan.* Obſerva in fimetis & ſterculinis foſſiſque ſuburbanis, Londinum circumjacentibus, eſſe plures hujus generis ſpecies ſubalternas; quæ habent ſemina ſingula binis foliolis incluſa, ut Atriplex folio haſtato ſ. Deltoïde in horto Regio Bleſenſi aucto; etiam Atriplex Polygoni folio, Halimus ſeu Portulaca Marina, ſic Authoribus denominatæ; Sunt veræ & genuinæ Atriplicis ſpecies, quemadmodùm Atriplex Halimi folio: quia hæ noviſſimæ Atriplicis ſpecies ad oram maritimam, aliæ prædictæ in fimetis & Stercoratis ſuburbanis locis, aliæ priùs dictæ in hortis cultis proveniunt; nonne debent ibidèm digeri ſeu collocari, quondoquidem eandem gerunt teſſeram, ſeu notam eſſentialem? *Soc.* Do manus, jam abundè mihi ſatisfactum eſſe puto de methodo depravatâ Dalechampii; atque uno verbo velim aliquid mihi dicas de methodo Parkinſoni noſtri, qui ſatìs ingentem farraginem plantarum, omnium Authorum antè ſe ſcribentium, in magnum volumem congeſſit compilavitque. *Botan.* Parkinſonum laborioſum fuiſſe ſenem, multaque tranſcripſiſſe fateor,

fateor, quin & numerum auxit; sed magis confundit genera plantarum quàm quivis, dum novam vult (ex proprio cerebro) cudere methodum. *Soc.* Quomodò hoc quæso demonstras? *Botan.* Observasne ipsum à plantarum seu stirpium viribus vel facultatibus, classes suas desumpsisse. *Soc.* Atqui hæc videtur mihi optima methodus. *Botan.* Est Medicis aliquomodò utilis & necessaria, sed non est à naturâ desumpta; non est de essentiâ primò & principalitèr plantæ; purgare, necare, .s. occidere, calefacere, aut frigefacere, &c. sed secundariò & accidentalitèr, ut clariùs tibi alibì ostendemus. *Soc.* Ego omnes purgantes, simùl collocatas, optimam semper putavi methodum, pro istâ saltem classe. *Botan.* Ne multis verbis tempus teramus; Vis ut uno verbo dicam? quod sentio repugnat methodo naturæ & per consequens nostræ, per Tabulas cognationis digerendæ, & ut capias faciliùs quod propono, libenter à te peterem, quam affinitatem habet Rhabarbarum, seu Rhaponticum quod Lapathum suprâ (si memor es) à fine ultimo, scilicèt fructificatione, clarè satis fuisse demonstravi: quid inquam affinitatis habet Rhabarbarum, cum scammo-

niâ

niâ Antiochena, quæ eſt Convolvulus? Ob uſum ſucci lacteï, qui ex eodem manat. Quique diagredium poſt præparationem dicitur: Eſt per excellentiam, omnium Convolvulorum præſtantiſſimus: aut dic mihi. Cucumis Aſininus, ex quo Elaterium Medicorum antiquorum extrahitur; ſecundum methodũ naturæ, nil habet affine cum prædictis ſtirpibus? Fateor quod cum Colocynthide, & à naturâ, & à virtute diſponi debet: Deindè vide differentiam Tithymalorum, Eſulæ, & cœt. (id genus) aliarum, tricoccarum lacteſcentium, à Jalapio, Senna, Tamarindo, Caſia. Quæ cũ prædictis & poſtea nominandis, nullam habent inter ſe connexionem, ſi exacta & omnium perfectiſſima methodus naturæ conſideretur: purgare enim hiſce nominatis, & multis aliis in obſervationibus noſtris generalioribus, ex horto Regio Bleſenſi aucto collectis; hiſce inquam purgare accidentalitèr datur à naturâ. Ita ſecundariò .ſ. accidentalitèr à purgante facultate poſſunt omnes hæ ad unam claſſem reduci; ſed ex Libro naturæ, habitâ ratione finis ultimi, ſcilicèt fructificationis; toto Cœlo differunt. Quod non te jam poteſt latêre; poſt tàm prolixam, de hac re,

re, ratiocinationem. *Soc.* Video & concedo novam illam Parkinsoni, non veram & genuinam (secundum naturæ intentum) esse methodum : properemus ad alios ; ne dialogus in immensum excrescat. *Soc.* Quid dicis quæso de magno illo volumine duobus Tomis immensis, distincto? Quod, hort. Eyst. nuncupatur. *Bot.* Laudo liberalitatem istius Episcopi magnoperè, qui tantum impensarum liberè fecit; ut publico prodesset. Nullus inquam, Icones omnes, æri tàm affabrè & elegantèr insculptas (heu nimis tamen magnas) tam gloriosè & sumptuosè edidit. *Soc.* Sed ad rem : Quid dicis de methodo ipsius Besleri; qui Librum compilavit? *Botan.* Vis ut apertè loquar? Quod sentio, nosti (si benè meministi) Beslerum compilatorem, seu directorem, prædicti Libri ; per anni quatuor tempestates, plantas suas digessisse : ut acupictoribus, prædictum Librum evolventibus & intuentibus plus prodesset, quam Botanicæ scientiæ, studiosis. *Soc.* Certè Icones istius Libri seu hort. Eyst. (si mavis) elegantèr sunt designatæ & sculptæ, & pro proportione plantarum quarundum minorum : Sæpè reperiuntur nimis magnæ. Insuper fateor Librum

brum illum principum & magnatum musæis, & acupictorum seu acupictricum, cubiculis valdè esse necessarium. *Botan.* Utinam haberem ego talem patronum, ego methodum naturæ, de quâ suprâ diximus suppeditarem & patronus designatores, & sculptores conduceret & pretium persolveret. *Soc.* Ego id cordicitùs optarem, & optare debent omnes quotquot in Europâ extant Botanicæ rei amatores. Sed quid dicis de Matth. Medico Italico, nullamne ille proposuit methodum? *Botan.* Ille & multi alii suo tempore, Coætanei Botanici, similitudinem foliorum .s. partium accidentalium ritè, & attentè observantes, plantas multas ad eandem classem reduxêre, quæ aliò à nobis sunt relegandæ. *Soc.* Tu appellas folia, partes accidentales stirpium? *Botan.* Sunt tantum; quemadmodum radix, Fibræ .s. Nervi, caules: cur non folia? Hoc ego paucis deducam, radix ex terræ superficie, tanquam matrice, attrahit nutrimentum seu alimentum, caules vehunt ad omnes partes, per ductus illos sive canales, qui Fibræ .s. Nervi dicuntur; folia arcent calorem & frigus: ergò per accidens omnes inserviunt productioni seminis; ejusdemque perfe-

perfectioni. *Soc.* Cui usui data sunt folia, præter ad arcendum frigus & calorem,& ad Dod. ductum .s. vehiculum Nervorum per omnes partes plantæ. *Botan.* Inserviunt ad subalternas species constituendas etiàm, aliquando multa genera intermedia designantur ab accidentali à similitudine foliorum. *Soc.* Certè ego, certum indicium Genericum à similitudine foliorum peti existimavi. *Botan.* Et ego hoc observavi in multis Authoribus scribentibus aliquot abhinc annis, imò non ita pridèm,in Libro quodam ab Authore,vestri Collegii Socio edito,in quo exhibetur methodus,per Tabulas,disponentes classes plantarum, à similitudine foliorum,sumptarum. Ego tantum confusum Chaos: illìc, de plantis legi,nec quicquam didici,ut monstrabo tibi & lapsus & confusionem, aliás. Quia degrediendum nunc, non est. *Soc.*Ego vix clarè percipio quid tibi vis dum folia non vis,inservire ad digestionem plantarum? *Botan.* Ego nunquam hoc dixi; sed audi attentè non inficias eo, folia multùm conferre ad species intermedias denominandas, sed non ad Genericam, & essentialem assignandam notam. *Soc.* Clariùs velim te temetipsum

sum exprimere. *Botan.* Quandoquidem exempla clarè docent, quædam adferam, in medium: quæ te convincent, plantas, non denominari debere à primo intuitu, seu conformatione foliorum, ad seinvicem. *Soc.* Adfer quæso in medium exempla illa tua. *Botan.* Audi ergo attenté. Observastine in citatione Authorum apud Casp. Bauh. complurima Ranunculorum genera subalterna, ab accidentalibus (foliis scilicèt) partibus, desumpta, ut exempli gratiâ, Ranunculus Gramineis foliis, apparet Botanicis non mediocritèr versatis in arte: Gramen sub pedibus: sed simulac florem Mense Junio produxerit luteum, quinis petalis conflatum, & semina Ranunculi in modum; Nemo dubitabit ipsam illam plantam esse Ranunculi speciem, ipsamquè nominare Ranunculum; & ut multa paucis comprehendam, observa mecum: Ranunculus Plantaginis folio, Ranunculus Rutæ folio, Ranunculus Beupleuri folio, Ranunculus Thalictri folio, Ranunculus Aconiti folio, rotundo folio & dissecto folio. Antequam maxima pars horum floreat semenque produxerit, non debent nominari à primo intuitu foliorum, per terram stratorum,

rum, ne primus pro Gramine, ſecundus pro Plantagine, tertius pro Ruta, quartus pro Thalictro habeatur, & ità deinceps: ſed ſecundariò à ſimilitudine foliorum, ad ſpecies ſubalternas determinandas; ergò clariùs, jam luce meridiana, vides notam Generícam nunquam deſumi à ſimilitudine foliorum, ſed (ut antè à me dictum) diverſas ſpecies ejuſdem generis conſtituit, diverſa foliorum ſimilitudo ſeu facies. *Soc.* Video clarè & perſpectè in hoc genere, videlicèt Ranunculorum: Folia tantum per accidens & ſecundariò (quoàd formam & figuram) inſervire ad ſpecies deſignandas; ſed an hoc contingit paſsìm in omnibus, plantarum generibus? *Botan.* Paſsìm, ubi numeroſæ ſunt ſpecies ut hìc. *Soc.* Sed danturne plures ſpecies intermediæ diverſæ, ſub diverſis omninò generibus, quæ folia habent conformia, & à ſe invicèm vix cognoſcibilia. *Botan.* Auſculta paucis, attentiſſimè obſervabis mecum. Milleſolium Tanaceti foliis; flore purp. & alb. & Erucam Tanaceti foliis: Utraque notatur à me non ſcripta, in horto Regio Bleſenſi aucto, Tanacetum inodorum Bauh. in Pin Bellis Tanaceti ſolio nobis: Hæ tres plantæ, notâ

Gene-

Generica & essentiali, toto Cœlo differunt, à fine ultimo petitâ. Sed hæ tres plantæ, dum primo è terrâ pullulant, & antequam caulescant: intuendo, acutâ acie oculorum; propter conformitatem (alarum Rachi seu Nervo medio adhærentium & dissectarum) in foliis, non possunt facilè distingui; sed paulatìm caulescente primâ plantâ, & florente, semenque postquam ad maturitatem produxerit eadem: Millefolium, Tanaceti foliis sese declarat, sumendo denominationem, à nobiliori parte, fine ultimo scilicèt, & folia alata dissecta, Tanaceti adinstàr designant, pro quâ specie Millefolii, haberi debet. Secunda paritèr planta, ad flores vergens, sese tetrapetalam & siliquosam prodit: adde acrem & calidam qualitatem, si Masticetur, gustusque vocetur in opem; Eruca statìm apparet: folia Tanaceti instàr inserviunt ad specificam hanc Erucæ speciem designandam. Tertia florens, Bellidis adinstàr, discum fert luteum, quem cingunt, circularitèr seu stellatìm, lata alba folia; unde Bellis Tanaceti folio dicitur: eam denominando à parte essentiali; flore videlicèt, aptiùs ad genus Bellidum à me reducitur; & folia

Ta-

Tanaceti in modum, constituunt specificam ejus Bellidis notam. *Soc.* Jam tandem percipio folia non esse de essentiâ plantarum, ex exemplis satis ingeniosè à te allatis. *Botan.* Gaudeo me nullam posticam dubio tuo reliquisse. *Soc.* Quid dicis de methodo Joh. Bauhini, qui historiam universalem, plantarum seu Stirpium in tres Tomos digestam, scripsit? *Botan.* Vis certè ut ingenuè fatear, quod res est; omnium Authorum, ante se scribentium, optimam reliquit methodum. *Soc.* Nihilne corrigendum aliis reliquit? *Botan.* Imò multa, ut videbis ex animadversionibus meis in historiam universalem ejusdem Joh. Bauh. ibi multa transpono, diruo genera; alia de novo creo & constituo; denique omninò novam condam & componam methodum, meliorem, facilioremque. Quâ, plus addiscet methodicè. Botanicus discendi cupidus; biennii spatio, quam ego ad decennium didicerim. *Soc.* Utinam eandem præ manibus haberemus, & optarem tibi publicam Cathedram, ex quâ, tam vivâ voce; indoctos præsentes doceres, quàm scriptis è longinquò doctis scriberes. *Botan.* Ego me semper divinæ providentiæ me commisi,

& adhuc idem præsto. *Soc.* Quid tibi videtur de prolixitate Johannis Bauh. in describendis aut potiùs transcribendis, aliorum Authorum plantis. *Botan.* Tediosum ipsum puto in hoc, ipsumque dum dicta & scripta aliorum, in medium producit; citando dicta, & allegando scripta Mattheoli, Fusch. Lob. Dod. Clus. & cœterorum tam, veterum quam Neotericorum scriptorum, in tria immensa volumina seu (si mavis) tres Tomos, ejus Historia universalis accrevit. *Soc.* Sed quid quæso emolumenti advenit, Reipublicæ Botanicæ; dum tantam molem seu farraginem, dictorum Authorum in in tam vastam historiam congessit. *Botan.* More Germanorum & Teutonum, ut se laboriosum & diligentem indefessumque collectorem, seu compilatorem posteris monstraret seu exhiberet. *Soc.* Te verum dicere passim observo & in hoc tibi assentior: sed tu qui exactiori trutinâ, omnes Botanicos perpendisti; quot quæso addidit plantas, nondùm descriptas, aut non sculptas ab aliis Authoribus Botanicis, scribentibus ante se. *Botan.* Ego nondùm calculum exactè inivi. *Soc.* Proculdubio con-

jecturam veram facere potes; & fortaſſe exactum, etiam plantarum ab ipſo edditarum numerum, nobis exhibere potes. Vide Schedulas tuas de hoc recollectas. *Botan.* Niſi me memoria fallit plantæ à ſolo Johanne Bauhino in Tomo ſecundo ſuo, & tertio, figuratæ, non excedunt centum, ſeptuaginta tres. *Soc.* Exhibeas quæſo eaſdem nominatîm cum pag. ipſius Tomi primi, ſive ſecundi, ſive tertii. *Botan.* Quid hoc proderit Reipublicæ Botanicæ; & quod non amo, in aliis, ſed vitupero; committam ipſe: Hoc eſt ut appertis verbis tibi dicam, tranſcriberem. *Soc.* Eſt notare tantum quot acceſsêre ab ipſo Bauhino tanto operi, quod quinquaginta annorum fuiſſe, ipſe aſſerit. *Botan.* Forte morem geremus amicis tuis precibus. *Soc.* Sed ſi recte impræſentiarùm recordor; dum cederemus ſermones Botanicos, nos, inter nos: Tu certiorem me feciſti, te habuiſſe plantas non ſcriptas; cuiquam Authorum; ducentas quinquaginta. Quarum nobis deſtinaveras ſuccinctam, & curtam delineationem. *Botan.* Hoc hactenùs; in præludiis meis Botanicis præſtiti.

præstiti. *Soc.* Ego plurimi facio, Enchiridium tuum Botanicum, Manuale continens præludiorum Botanicorum tuorum, partem primam, & alteram. *Botan.* Fortè plus emolumenti & voluptatis ex lectione hujus Libelli, Botanicæ rei amatoribus & reverâ studiosis proveniet. Quam ex tedioſorum prædictorum ingentium voluminum contemplatione & evolutione, quæ nauseam etiam ingeniosis lectoribus (expertus loquor) pariunt. *Soc.* Omittamus prædictos omnes prolixos transcriptores, & accedamus ad Caſparum Bauhinum, quæ est tua sententia de Pinace suo. *Botan.* Plus ille laboravit quàm omnes suprâ citati Authores. Nomina omnium Authorum, Stirpes diversimodè nominantium, in medium producit; ipsos concordare facit. Quod non minimum præstitit: ad evitandam confusionem ex multiplici Nomenclatura Authorum, enatam. *Soc.* Sed de ejus methodo, in digerendis plantis: tuum judicium tua existimatio valebit. *Botan.* Vide hallucinationes Caſp. Bauh. in Pin. in præludiorum Botanicorum meorum parte posteriore: Ibi observo ipsius halluci-

nationes in Pin. tam in denominandis, quam digerendis plantis, ubi diruo, ædifico genera; muto genera cum generibus, de his consule locum citatum. *Soc.* Utinam haberemus ad manum tuam methodum promptam; designatam & impressam quâ instructi, methodicè possimus plantarum seu stirpium, addiscere affinitates seu cognationes. *Botan.* Brevi, si Deus dederit & Mœcenas sese obtulerit, (per me non stabit) habebitis. *Soc.* Unde tu hanc methodum didicisti, quæ non reperitur apud omnes prædictos Authores. *Botan.* Ex Libro naturæ. *Soc.* Quid tu appellas Librum naturæ. *Botan.* Ego appello Librum naturæ, id quod omnibus innotescet. Quam facillimè postquam præludia mea diligentèr evolverint, & historiam universalem plantarum seu stirpium meam methodicè dispositam; viderint. *Soc.* Quid intelligis per methodum universalem. *Botan.* Ego intelligo novam methodum per Tabulas cognationis, seu affinitatis disponendam. *Soc.* Quid tibi vis per Tabulas cognationis seu affinitatis; nunquam ego legi de tali methodo apud Authores. *Botan.* Nec

ego:

ego: ergò non esset nova; etiamsi fuit ab incunabulis mundi (ut imposterùm audies) sed nemini adhuc detecta ante me: & neutiquàm dubito, quin illa methodus, & tibi & aliis omnibus φιλοβότροις; (ubicunque locorum viventibus) satis grata futura sit. *Soc.* Valdè cuperem eandem illam methodum videre, & optarem, ut ex tuâ Pharetrà illa sagitta, à tot & toties expetita, exiret. Nam sæpiùs tecum inivi colloquium, de arte nostrâ Botanicâ; satis adhuc ut video confusa: Aliquid ex te aliàs hausi, utinam & mihi & Publico ubique terrarum, brevì proficias; sed dum recordor, & ne mente excedat, Mattheolus Italus ille Medicus, qui confusam edidit plantarum historiam, multa appinxit falsa arboribus ut ipsas congruere faceret, cum antiquorum descriptionibus. *Botan.* Hoc non me latet, sed quod magis miror: Imperatorem, Reges & Principes, & magnates omnes, totius penè Europæ, contribuentes habuit, hæc ipse jactitat in Præfatione Libri sui. *Soc.* Utinam Reges & magnates hujus sæculi, Chalcographorum, & Typographorum labores, tuosque com-

penſarent; ut methodo illâ novâ, & inauditâ; à naturâ datâ: Et à te ſolummodo (citrâ jactantiam) obſervatâ: frueretur, totus terrarum orbis; ut in arte Botanicâ, quondàm Italia, Germania, Gallia gloriatæ ſunt; ſine methodo. Itidèm nobiſcum, cum methodo, gloriari Britannia noſtra poſſit: Jam tandem unam à te ſciſcitarer quæſtionem; antequam decedas: plantæ poſſuntne ſine ſemine; aut ſatione ſeminis, provenire, ſponte è viſceribus terræ, tanquam ex matrice. *Botan.* Jam grandem mihi proponis quæſtionem quæ anxios, & ad ſolutionem tardos reddere poteſt, & ſocios Pariſienſes & Londinenſes; imò vexaret fortaſſis, ſocios Lyncæos Romæ olìm viventes. *Soc.* à te hanc nunc expoſtulo, tu qui tot ſemina collegiſti, ſeminaſti, recondidiſti in promptuario tuo ſeminario; ex horto Regio Bleſenſi: totius Europæ, non ita pridèm, ſub obitum principis, Mœcenatis ipſius; refertiſſimo: Earundem omnium ſtirpium (quotquot illìc ſemina; tulêre) dicis te habere bis Mille quingentarum vegetantium ſemina. Iterùm, jam ad rem; putaſne

tu

tu tellurem, tanquam ex propria matrice, plantas ſine ſemine aut ſatione producere? *Botan.* Certè lupum auribus teneo, an laterem lavabo, an oleum & operam perdam mihi adhuc incertum. dicam tamen quod ſentio. Primò exordiamur à divinis oraculis, ubi affirmant in Geneſios cap. I. verſibus 11, & 12. producat terra Gramina, & herbas reddentes ſemina ſua: & Arbores ferentes fructus ſecundum earum genera ſeu ſpecies, continentes in ſe ſemina, vidit Deus quod hoc fuit bonum, &c. *Soc.* Ex hac citatione divinæ Scripturæ innuere videris: omnia vegetantia ſeu ſtirpes ſeu Arbores ex proprio ſemine, à Deo, tertio die creata produci; in ſæcula, ſæculorum, ad finem mundi: Ex diverſorum tam generum, quàm ſpecierum, diverſis ſeminibus à Deo datis, provenientium. *Botan.* Hoc ego ità intelligo & longâ experientiâ edoctus, obſervavi, à minimâ plantulâ, ſeu Graminis herbâ (ut cum Virgilio loquar:)uſque ad Libani Cedros. *Soc.* Sed multæ conſpiciuntur plantæ, quæ ſpontè proveniunt ſine flore, capſulâ ſeminali. *Botan.* Ego fateor plurima eſſe genera & in-

finitas ſpecies (ſi ita loqui licet) ſub ipſis contentas, quæ ex mixturâ ſalis, & ſulphuris è terra aquave producuntur, ſponte & ſine ſemine; ego autem, has omnes imperfectas appello plantas vegetantes. *Soc.* Quas tu appellas perfectas; quas imperfectas. *Botan.* Perfectas appello quæ florent; capſulas producunt ſeminales, & ſemina inibi contenta. *Soc.* Jam capio quid velis, ſed unum à te peterem. Capillares omnes, ut Phyllitis, ſive Scolopendria, aſplenium, Coterach, Ruta muraria, Polypodium & Filices omnes, cœteræque (id genus) aliæ: ſuntne perfectæ plantæ? *Botan.* Imò ſunt, quia habent flores (qui fugiunt quaſi obtutum) & ſemina, quaſi pulviſculum in dorſo alarum. *Soc.* Hoc tu appellas ſemina: Capillarium, & earundem familias. *Botan.* Quidni appellarem, & quemadmodum non omnis fert omnia tellus. Idem hoc ſemen ſi aquoſis & umbroſis ſylvis, vetuſtis muris aqua riguis commitatur, pullulat, producitque ſui generis plantam: Si propriam ſortiatur matricem. *Soc.* Quid tibi videtur de junco, an eſt planta perfecta. *Botan.* Perfecta certè

certè omninò, nam floret & semina (utplurimum) triangularia producit. *Socius.* Collegistine unquam junci semen. *Botan.* vigesiès, & habeo penes me in promptuario meo seminali, dena aut duodena distincta, juncorum seminum genera; aut si mavis species appellare, per me licet. *Socius.* Hoc ego nondum adverteram. *Botan.* Hoc clarè tibi demonstrabitur quando velis. *Soc.* quas quæso, appellas tu imperfectas plantas? *Botan.* quæ (ut suprà dixi) sponte sine semine proveniunt: ex quadam commixturâ salis .s. fixi .s. volatilis, sulphuris; junctâ terrâ ruderosa, stercorali denique, aut aquâ stagnante, vel fluente; & in motu perpetuo ut marina, vel fluviatili: seu dulci fontali. *Soc.* Recense quæso quædam imperfectarum plantarum genera, si lubet. *Botan.* In superficie terræ maxima pars omnium muscorum, sive in sylvis annosis, sive densis & umbrosis, sive in vetustis arboribus, muris antiquis, casularum tegumentis aut Lapidum saxorumve superficiebus crescentium. *Soc.* Ergò, generalitèr (ut percipio ex te) omnes musci sunt plantæ imperfectæ. *Botan.* Ego

hoc

hoc non affero. *Soc.* An dantur muſci qui florent & ſemen ſuum perficiunt. *Botan.* Etiam plurimi ut polytrichum utrumque, majus & minus Apulei. Muſcus clavatus, muſcus abietinus & multi alii, quos in ſylvis annoſis & umbroſis obſervare licet: lichen piliatus, ſtellatus itidém. *Soc.* Ego hoc obſervabo exactiús. *Botan.* Fac quæſo. *Soc.* Quid dicis de fungorum Cluſii ingenti catervâ. *Botan.* Sunt excreſcentiæ terræ: (ſive ſunt edules ſive lethales) nec ſemen nec florem habent ſed ſponte noctè unâ aut alterâ è terra emergunt; ex quadam commixtione Salis, ſulphuris, junctâ terræ pinguedine ex ſtercore quadrupedum orta. *Soc.* Ego hæc omnia vera eſſe perſuaſum mihi ſatis habeo: & eſt conſentaneum rationi; Sed quid infers de tuberibus terræ. *Botan.* Tubera terræ in gremio terræ ſuperficiali producuntur ſponte: ſine radice, caule, fibris, aut foliis. *Soc.* Quomodo augentur aut ad talem magnitudinem creſcunt. *Botan.* Per juxtapoſitionem: ut mineria, & lapides terræ. *Socius.* Sit ita: Non reperiuntur hic in Anglia. *Botan.* Neutiquàm, nec in borealibus

bus Galliæ tractibus. *Soc.* Nunquamnè reperisti in meridionalibus tuis peregrinationibus, sub auspiciis sereniſſimi principis Gastonis Franciæ. *Botan.* Etiam in agro pictavienſi, Burgundia, quin & Gallopro-vincia, & Gallia Narbonenſi reperiuntur, frequentér. *Soc.* Quomodo deteguntur? *Botan.* A porcis ſive ſuibus. *Soc.* Participem, me fac hujus venationis tuberum. *Botan.* Paucis tibi dicam, inſtinctu quodam naturæ, porci ſive ſues odoratu ſuperficialem terræ partem, detegunt; & ſtatim terram evolvunt quoad appropinquent ad tuber ipſum, & ſtatim ſubulcus accurrit, & abigit pedo aut baculo ſuo paſtorali, porcum; & læviſſimo labore colligit tubera: Ecce habes quod vidi, in agro pictavienſi & habui ex relatione ſubulcorum aliorum. *Soc.* At ut ego audivi valdè avide expetuntur, à magnatibus Galliæ, Italiæ, qui Embammatis variis, gulam irritantibus utuntur. *Botan.* Ita eſt. *Soc.* Sed quid tibi videtur Corallum & Pſeudocorallum & ejus generis aliæ complurimæ, maritimæ in fundo maris vegetantes, dum in loco nativo ſunt; adhuc

ſunt

sunt molles; sed extra mare durescunt & colorem mutant. *Botan.* Idem mihi dicendum videtur, quod de diversitate numerosa, fucorum marinorum; (si mavis algæ marinæ) qui omnes crescunt in fundo maris, & tempestatibus, propriis sedibus avulsi: Ad oram maritimam ejiciuntur multiformes, & diversarum proportionum. Præcipuè hyemali tempore, versus oram maritimam, Borealium regionum. *Soc.* Ego multas facie diversas fucorum marinorum species, nunc penes me, in musæo meo habeo; tibi in hoc accedo: puto certo certius, has omnes sive algæ, sive fucorum marinorum species, esse plantas maritimas imperfectas: Quandoquidem, nec florent nec semen producunt. *Botan.* Si non longè fallor; sunt & plantæ imperfectæ in fluviis & fontibus aliisque rivulis. *Soc.* Benè observas ut conferva, lenticula & ejus generis aliæ multæ aquaticæ, aquis innatantes sine flore, sine semine: Jam abundè mihi satisfactum puto; de imperfectis plantis, tam terrestribus, quam aquis marinis, sive dulcibus, stagnantibusve innascentibus; sed quoniam advesperascit:

&

& tu longè hinc distas, putasne plantas perfectas, spontè & sine semine produci posse, in locis ubi semen nunquam fuit satum? *Botan.* Suprà si satis meministi, hanc quæstiunculam examinavimus, & firmitèr credidi, quod tibi hactenus asseveravi, & certè sæpè sæpiùs affirmavi, constantèr: sereniſſimo principi Gastoni Franciæ Domino, Domino meo (dum in vivis erat) colendiſſimo: Et proh dolor! dum jam est mortuus, nunquam satìs mihi deplorandus. Vivus, sæpe sæpius, nos colligere fecit plantas omnes, quæ è rimis lapidum, quibus tegebatur palatium, Regia Chambort, dictum. Multæ fuerunt pappescentes illìc vegetantes; ut Senecio, Jacobæa, Conyza acris cœrulea, Lactuca sylvestris, & complures species Hieracii, Dens Leonis, &c. (id genus) aliæ papposæ multæ, quas omnes non mirabar, illuc à semine per aera volitante, dilatas fuisse: Sed & plantas complures, solida gerentes semina, illìc promiscuè reperimus, ut Lapathum, Cerasum arbusculam, Prunum, rubum utrumque, & Rosam sylvestrem. *Soc.* At undè venêre ad tantam altitudinem illa solida

semi-

semina? concedo pappescentia semina, per aerem volitare, & in altum attolli; & longè latéque portari posse: sed quomodo solida illa & quodammodo gravia, semina; potuerint illuc volitare, nondum capio. *Botan.* Ego paucis meam opinionem, notam tibi faciam: Pluriès observavi, in altis & vetustis turribus, Campanilibusque Templorum, arbusculas imò Arbores, è fissuris sive rimis lapidum crescentes. Ego puto nucleos (si fuerunt nuciferæ) glandes (si fuerunt glandiferæ) aliaque suprâ citata, solida semina ab avibus talia loca frequentantibus, fuisse translata, in rimas lapidum fortè fortuna cadentia, aut ab avibus illic dormientibus, & noctu quiescentibus evacuata, germine intacto, seu inconcocto pullularunt: atque hoc de aliis seminibus omnibus, in talibus provenientibus locis, asserere audactèr, tibi audeo. *Soc.* Habet umbram rationis, sed non plenè mihi satisfacit, illa tua ratio: Progrediamur ad illam relationem tuam; quam ex te domi meæ, superiori anno audivi. *Botan.* Quænam fuit illa relatio. Oblivioni tradidi, nisi mihi in memoriam revoces. *Soc.* Fuit obser-

obſervatio de conflagratione ſeu incendio, totius Europæ, Emporii celeberrimi Londini ſcilicèt: Majoris, ſaltèm ditioris ejus partis. *Botan.* Jam ſubit animum & eandem iterùm paucis tibi perſtringam: Si benè meminiſti, ſecundo die Septembris, Anno Domini, 1666. incepit incendium illud luctuoſum & ad triduum, aut quatriduum duravit. Nec ope humanâ (divinitùs evenit, quum non eſt malum in civitate, quod non fecit Dominus) extingui poterat: Nam Æolus apperto ventorum carcere (ut ita loquar) regnabat: per triduum aut quatriduum illud. Poſt octomeſtre ſpatium, per rudera ducentorum jugerum, ſolo æquatatorum, mihi perambulanti verſus excambium vetus nunc. Antè illud tempus; Collegium Greſhamianum dictum tendenti, in veſtigiis, ædificiorum & tectorum, mihi tanta ſeſe objecit copia, Eryſimi illius, quod irio lævis Apulus alter Fabio Columnæ dicitur: Et eôdem revertens, menſibus duobus poſt hoc; adeò densè pullulavit, ut falce quaſi Triticum, aut ſecale demeti potuerit. *Soc.* Quid

inde

inde ſequetur, unde proveniſſe tantam copiam iſtius Irionis? putas tu; an à ſemine ſeu ſatione. *Botan.* Quid quæſo, te movet ad talem proponendam quæſtionem, cum ædificia omnia circa ædem Divi Pauli, & alibì paſsim in meditullio celeberrimi Emporii Londini, à Mille aut ſaltèm, aliquot centenis annis: Fuêre conſtructa & tectis conſervata. *Soc.* Ergò tanta copia illius ſeminis, latebat in cellis & cavearum fundis, & ſoli & pluviæ expoſita, fructificavit. *Botan.* Unum hoc addam: Ego non ſum Plinius, ut ex aliorum relatione mundo imponam, nec Mattheolus ut appingam ea quæ nunquam extitere: Sed ut vis appertis verbis nec Calamiſtratis: meum tibi dicam animum. *Soc.* Dicas quæſo? *Botan.* Nullum eſt ſemen plantæ, quod producit (conſervatum quàm diligentiſſimè) poſt decennium; perraro poſt quinquennium: multò minùs poſt centenos aliquot, & Mille annos. *Soc.* Ergò aliquis ſemina iſtius plantæ, per rudera ſparſit. *Botan.* Non credo imò, certò ſcio tantam iſtius Irionis, ſeminis copiam non fuiſſe in tota inſula Britanniâ, imò nec in Gallia:

dubito

dubito an in Germania & Italia ipſa; (cujus Neapolis eſt regnum, ubi frequentèr creſcebat tempore Fab. Columnæ) unquam floruit tanta iſtius plantæ copia, ergò etiamſi ſeminatores fuiſſent (ex tuâ opinione, poſt hæc tibi à me auditâ) non poterat tanta copia iſtius individualis ſpeciei, ſeminis; à tot Regnis ſuppeditari. *Soc.* De hoc non multùm nunc dubito: Sed quid concludis, ſis rationi conſentaneus. Unde provenit tanta copia iſtius Irionis, forte ſponte. Sub idem tempus, ibidem vidiſti & obſervaſti multas alias plantas, pappeſcentes, imo gramineas, aliaſque diverſarum claſſium. *Botan.* Vidi & attentè obſervavi. *Soc.* Undè hæ aliæ venêre. *Botan.* A ſemine volatili pappeſcenti quod poteſt (ut ſupra clarè ſatis docui) ad multa Milliaria, vento transferri, & in altum attolli & ubicunque ceciderit, germinat & fructificat. *Soc.* De pappeſcentibus non dubito quod dicis, inſuper Gramina, denſè ſatìs proveniunt; in qualibet terra ſi negligatur: quare non poteſt tuum Eryſimum, ſeu Irio lævis Apulus alter in ruderibus Londinenſibus, ſponte etiam provenire. *Botan.* Non

est par ratio inter Gramina & Erysimum hoc: Quia Graminum semina spargun-tur passìm; est omnium vegetantium plan-tarum, in omnibus regionibus, frequentissi-ma & facilius sese propagat. *Soc.* Est planta tamen perfecta, ex suprâ dictis à te: ergò à semine, multiplicatur. *Botan.* Hoc ego semper credidi, & in hanc horam credo. Unum à te scìscitari velim, putasne hanc plantam, Irionem lævem Apulum Col. à quovis hortulano, aut incola hujus civi-tatis satam, in ruderibus fuisse. *Soc.* Nemi-nem hujus insulæ primò tam curiosum, se-cundò nec tanta ejus plantæ seminis, copia instructum fuisse, pro certo ratum & sta-tutum habeo. Quis tam stolidus aut malè feriatus homo, si semina ad manum haberet (quod impossibile suprâ demonstratum est) ruderibus ducentorum jugerum terræ, solo æquatorum, committeret. Ergò cum nec à satione, nec à semine, ad aliquot cente-nos annos in ruderibus latente, produci poterat; hujus plantæ tanta copia. Unde concludere vis, tantam ipsius multitudi-nem proveniisse. *Botan.* Certè ut supra dixi ex sale partìm volatili, partim fixo, salpetro,

sulphure

ſulphure, & ex terra ſive calcoſa aut rude-roſa & aqua, mixtaque materia, quocunque modo appelles, per me non ſtabit. Neſcio quid mihi perſuaſum habere debeo, adhuc. Probabile certè eſt, hanc plantam tam copiosè proveniſſe ſponté; Ut ſupra dictum fuit. Sed hæc opinio apperit januam ad Philoſophaſtros contemplativos, qui indifferentèr credunt cujuſlibet generis plantas, Arbores, frutices, ſuffruticeſve, ex terra tanquam matrice, ſponte ſine ſemine provenire. Sed hæc opinio (ut mihi videtur) repugnat ſacræ Scripturæ, & rationi. Hæc per dialogum inter nos dixiſſe, impræſentiarum, ſat eſſe puto. Quod reſtat de hac materia; Sociis virtuoſis, Pariſienſibus & Londinenſibus, viris nobiliſſimis, clariſſimis & Doctiſſimis (ex quorum numero, te eſſe ſcio) diſcutiendum relinquo. Vale mi Doctiſſime vir.

FINIS.

Errata in præludiis Botanicis contenta.

PAgina 1. *linea* 7. lege Abrotanum. *p.* 5. *l.* 18. l. nonum. *p.* 17. *l.* 13. l. Anthyllis. *ibidem l.* 19. Antirrhinum majus passim. *pro* ☿ l. ☉. *p.* 19. *l.* 6. *pro* ☿ l. ☉. *p.* 26. *l.* 18. l. Halimoïdes. *p.* 34. *l.* 3. & passim l. Buphthalmum. *p.* 39. *l.* 2. l. Galactites. *p.* 46. *l.* 14. l. Cerefolium. *p.* 51. *l.* 16. *pro* ☿ l. ☉. *p.* 53. *l.* 5, & 6. *deleatur* humilis. *p.* 55. *l.* 11. *pro* ☉ l. ♀. *p.* 67. *l.* 4. *pro* ☿ l. ☉. *ibid. l.* 14. l. Doronicum foliis viridibus, subtùs lanuginosis. *p.* 68. *l.* 2. l. Leucoium. *p.* 69. *l.* 5, & 7. l. Elichrysum. *p.* 77. *l.* 1. l. rubris. *p.* 81. *l.* 4. l. Geranium. *p.* 91. *l.* 7. l. Peruanus. *p.* 96. *l.* 11. l. Pilosella. *ibid. l.* 17. *pro* ☿ l. ☉. *p.* 97. *l. antepenult. pro* ☿ l. ☉. *p.* 110. *l.* 4. *pro* ☿ l. ☉. *p.* 109 *l.* 18. l. semine rotundo *p.* 110. *l.* 6. Lapathũ fidiũ instar, l. nobis. Pulchrũ sinuatũ Bononiense J. B. *p.* 111. *l.* 11. *pro* ☉ l. ☿. *p.* 123. *l.* 22. l. syl. alba simplex. *p.* 128. *l.* 10. *del.* ♃. *p.* 129 *l.* 1. *pro* ☿ l. ☉. *p.* 129, & 130. l. Armeniaca. *p.* 129 *l.* 12. l. Aurantia. *p.* 137. *l.* 14. *pro* ☿ l. ☉. *p.* 145. *l.* 16. *pro* ☉ l. ☿. *p.* 149. *l.* 19, & 20. *pro* ἀνύμφ. 3. l. 1ª. & 2ª. *p.* 160. *l.* 13. l. Virginiana. *p.* 160. *l.* 18. l densis furculis. *ib. l* 12. l. Scabiosæ. *p.* 173. *l.* 16. l. 1ᵐᵉ. Clus. & *pro* ☿ l. ☉. *p.* 178. *l.* 2, & 4. l. Moschata *ibid. l.* 21. l. Pimpinellæ. *p.* 197. *l.* 14. l. Sphodylium. *p.* 270. *l.* 2. *pro* ☉ l. ☿. *p.* 213. *l.* 2. l Hybernum. *p.* 218. *l.* 6. l. sem. nigro *p.* 231 *l. ult.* l. Androsæmi. *p.* 243. *l.* 14. l. Cachryophora. *p.* 268. *l.* 8. l. Malacoïdes. *p.* 171. *l.* 12. l. hac duplici nota. *p.* 258. *l.* 17. l. innititur *p.* 276. *l.* 10. l. folia. *p.* 280. *l.* 1, &

2.

2.l.fructuſve. *p.*281.*l.*13.l.relinquentes. *p.*282.*l.*2. .Dodrantalem.*p.*295.*l.*14.l.Piſtacia.*p.*307.*l.penult.* l.Gallicè & pigra.*p.*305.*l. antepenult.* l. Germanica. *p.*318. *l.penult* l. Britannia.319.*l.*19.l.prior vulgaris.*p.*320.*antepenult.*l.minutæ.*p.*340.*l.*1.l.radice. *p.* 341.*l.penult.*l.expetitur.*p.*371.*l.antepenult.*l.proprie dicta.*p.*372.*l.*11.l.averruncandum. *p.*384.*l.*13.l.fecerit.*p.*392.*l.*11,*&* 12.l.denominandæ. *p.*417.*l.*17. l.folliculos.*p.*419.*l.*23.l.mimoſam.*p.*440.*l.*10.l.Cachryophora.*ibid.l.*18.l.ferularum.*p.*464.*l.*7.l. præſtantiſſima & certiſſima,*ibid.l.penult.*l.edita.*p.*476. *l.*3.Dod.*deleatur. ibid.l.*7.*pro* à l. videlicet.*p.*488. *l.* 12.l.Ceterach.*p.*496.*l.*16.l.vis ut apertis.

VIRIS

VIRIS CLARISSIMIS

In re

BOTANICA,

Facilè inter primos Magistris.

ABELI BRUNYER Medico & Botanico, *Celsitudini* E. Regiæ.

NICOLAO MARCHANT Apothecario, Botanico *Celsitud.* E. Regiæ.

Collegis suis, Horti Regii *Blesensis* Collectoribus & coexaminatoribus dignissimis: Author hæc scribit.

Collegæ dignissimi,

CUM *Hortum Regium*, Blesensem, *trecentis sexaginta plantis, plus minúsve auctum animadverteram: quæ fuêre à nobis recuperatæ & collectæ ab anno* 1655. *(quo anno Hortum Regium* Blesensem, *Typis pro secundâ vice commisimus) usque ad annum* 1660, *quo extinctus est serenissimus noster Mœcenas & Patronus, verè Regius, dignissimus*

nissimus Princeps. Cum hunc catalogum cum auctario à quamplurimis passim desiderari observaverim. Eundem auctum, cum durationis notulis, aliisque notis seu characticismis, nulli cuiquam Botanicorum *hucusque usitatis, in lucem edere decrevi. Partim ut* Botanicorum *tàm hìc, quàm alibì terrarum degentium, precibus satisfacerem; partim ut nobismetipsis satisfieret; quippe sudoribus & laboribus nostris per decennium exantlatis, collectæ & examinatæ fuerunt quotquot hìc exstant plantæ. Quum sub Auspiciis serenissimi Domini nostri,* Gastonis Franciæ, *&c. hæc à me incepta & hìc elaborata & finita; ne blattis & tineis diutius committerentur, in* Botanicorum *rem esse mecum non dubitabitis: Quare publici juris facere animum induxi meum. Porro plantas non scriptas in eodem Horto Regio* Blæsensi *aucto* 260 *contentas, brevitèr & succinctè delineatas exhibeo: Cum observationibus generalioribus plantarum ex eodem Horto Regio* Blesensi *aucto excerptis, rei herbariæ amantibus necessariis & cognitu perutilibus. Hallucinationes* Caspari Bauhini *tàm in digerendis quam denominandis plantis. Animadversiones itidem in* Johannis Bauhini *tres Tomos*

mos historiæ suæ universalis edidi: Una cum Dialogo inter Philobotanum D. B. popularem meum Societatis Regiæ Socium & *memetipsum. Ubi passim in hac meâ doctrinâ præsterno viam ad methodum novam & inauditam quam brevi (si Deus dederit) lucem videre spero. Vobis hæc scribere (quicquid æquum est) judicavi. Vestrum judicium, vestra existimatio valebit. Sublimiora sub Auspiciis serenissimi* CAROLI *Secundi, magnæ* Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ *Regis Domini nunc nostri; jam penè in promptu habeo. Videlicet, classes Stirpium, per Tabulas cognationis seu affinitatis dispositas.* Diu Valete

Collegæ dignissimi,

Vester Collega,

Collector & coexaminator

Robertus Morison M. D.
Botan. *Celsitud.* E. Regiæ
Blesis degens.